

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
A'
59
NAPOLI

Digitized by Google

XXV
A
59

Digitized by Google

Digitized by Google

SPECULUM
VERUM OSTENDENS

Juxta Modernorum Diſputantium Philoſophica Principia,

Et congenitum, & Evulgatum, & Publico lumini expoſitum

A' CLERICO NICOLAO
GRIMALDI.

Anno 1706.

VENETIIS, MDCCVI.
Typis Jo: Jacobi Hertz
Superiorum Permiſſu.

Google

Digitized by Google

AMICISSIMO.

MEi ingenioli oculis purum Veritatis Philoſophicę Speculum occurrit, hocve, ut publicæ ſtudioſorum utilitatis perpetuus, & indefeſſus amans, Orbi litterario monſtrare non immeritò exiſtimavi; In ipſo equidem candidus reſpiciet lector univerſum Renati Deſ-Chartes Siſtema, & clarè explanatum, & evidentèr confutatum; Quod utique diro haud obtenebret halitu, nè fortè experimentorum clypeo, argumentorum ferro, debitam ſumam rationabiliter vindictam: Valeat ſapiens, qui me audit, dum

Dominationis ſuæ , cui cuncta bona volo , ſanitatem à Domino requirens me ſubſcribo.

Addictiſſimus famulus
Clericus Nicolaus Grimaldi.

Digitized by Google

Dominus N. N. ad laudem Clerici Nicolai Grimaldi.

INgenii monumenta tui memoranda per Ævum
Quis canet, & Muſæ carmina digna tuæ?
Sæcla tui exornans lectoris lumine noſtra
A' Sophia errorum pellis inane chaos.
Vatibus ipſe etenim ſublimia carmina condis
Doctrinæ cupidis magna reperta parans:
Adſint hinc igitur nunc præmia magna laborum,
Hoc & ſemper ovans fama loquatur opus,
Cunctis quod partus demonſtrans Palladis altos,
Impulſus fortes hoſtibus ecce dabit.

Digitized by Google

SPECULUM
VERUM OSTENDENS,
Scilicet
DEMONSTRATIO FALSITATUM
à Domino N. N.
ALUMNIS N.N.N.N.
oppoſitarum.

Impugnationes proponuntur.

Amiciſſimis Alumniis N.N.N.N.

QUanti pretii ſint, quantumque emolumenti cuivis rebus Phyſicis inſtudenti proximè in lucem editę à vobis lectiones Phyſicales (de re litteraria optimè merita ſtudioſiſſima Juventus) attulerint; Nemò umquam abundè fateri poteſt. Cum enim, & authori-

Digitized by Google

tatibus optimatum ſcriptorum, & rationibus Præclariſſimi veſtri Lectoris ſuffultæ ſint, maximi habentur apud omnes, & ſatis, ſuperque à Deuſingianorum calumniis, & Criſibus tutæ exiſtunt, tutaſque magis fore cenſeo, ſi nonnullas, quæ mihi eas cogitanti, iterumque mente revolventi occurrerunt difficultates in medium apponam; Idque non ejus cauſa factum eſſe putetis hortor, atque volo, ut veſtras temnam lectiones; plurimi enim eas facio. Verùm cum ratione, & experientia mihi comprobatum, Regnum ullum tutius dici non poſſe, niſi ubi bello confligetur. Ferrum tunc melioris nothæ, & pertractabile reddi, cum plurimis incudinis, malleique reiteratis ictibus fuit ſuppoſitum. Aurum tunc nobilius, & propriè aurum reddi, cum ope ignis fuſum, liquiditatemque nactum ab impu-

pu-

puris ſe extricatur partibus. Veritates, certitudineſque eas, tum in Phyſica, tum in Matheſi firmiſſimas apud me eſſe comperi, de quibus primò dubitando, evidenti deinde ratiocinio evinctus fui: Sic Geometri certiſſimas quaſque Propoſitiones, quæ in dubium minimè verti poſſent, per abſurda, hoc eſt, de earum veritate ambigendo probant: Ille igitur tribus tantum veſtris benepoſitis lectionibus non forè ſpero, ſi perpaucas, exileſque objectiones in nudum proferam: Neſtoreos itaque annos à Divina Clementia vobis deprecor, ut quidquid Reipublicæ litterariæ emolumenti dediſtis, perficere valeatis.

In Primam Lectionem.

NOn poſſunt equidem ſcientificæ non eſſe veſtræ lectiones, cum pri-

primis ſtatim exordiis de ſcientia ſermonem inſeratis: Eamque (definitione ex Ariſtotelis Monumentis deſumpta) definiviſtis cognitionem certam, & evidentem rei per cauſam, in naturalem, & artificialem diviſam, artificialem vocaſtis ſtudio, ac arte acquiſitam; Naturalem verò fæcunditatem intellectui à natura inſitam, ac propterea creditis Mathematicam naturalem eſſe ſcientiam, allatum ruſtici exemplum ſatis id probare putantes: Si nempe exhibeamus Ruſtico Quadrilaterum A, cujus exteriora latera ſint unius cubiti, deinde formabo aliud Quadrilaterum B, duplum prioris, interrogatus ruſticus, quam nam proportionem habebit prius Quadrilaterum ad ſecundum, reſpondebit duplam; ſed id naturaliter ſcit: ergò Mathematica naturaliter habetur. Exemplum ſanè allatum prima facie, evin-

evincere videtur, nihilo tamen minus non concludit Mathematicam naturalem eſſe ſcientiam, quod prorsùs negare audeo; Nam aſſerere ruſticum naturaliter ſcire prius Quadrilaterum habere relationem duplam ad ſecundum eſt idem ac aſſerere ideas extenſionis, & proportionis eſſe nobis innatas. Cum enim omnes ideæ triplicis ſint generis, vel nobis innatæ, vel adventitiæ, vel à nobis ipſis factæ: Ut Dominationes veſtræ ritè probarent Mathematicam naturalem eſſe ſcientiam, id verum eſſe deberet, quod quidam ruſticus, vel cujuſvis generis homo nullam de quantitate, & corporum ratione habens per ſenſus acquiſitam ideam interrogatus in caſu allato reſponderet duplam rationem prius Quadrilaterum ad ſecundum; Id verò nemo mentis compos, & rem exactè perpendens concedet: Cum

idea, quam habemus extenſionis, ejuſque relationis ſit idea adventitia: Quapropter dicendum eſt ſolam ideam, quam habemus Dei optimi Maximi noſtri Creatoris naturalem eſſe ſcientiam; Hæc enim idea nobis eſt innata: Hanc autem ideam innatam eſſe ſic probarem. Quemadmodum ex nihilo aliquid fieri repugnat, ſic ex imperfectiori perfectius gigni nequit: Hinc ſequitur quod ſi in me agnoſcam ideam Entis ſummè perfecti, ſummè potentis, ſummè intelligentis, cumque facilè videam hanc ideam non potuiſſe in me ipſo à me produci, qui me cognoſco multarum perfectionum indigum, multa facere, & ſcire cupientem, neceſſariò cogor, ut credam ipſum ens omnium perfectionum, omnis potentiæ, & ſapientiæ capax, quod illam ideam in me producit certò certiùs exiſtere, hoc autem ens

eſt

eſt Deus. In me eſſe hanc ideam Dei ulterius ſic probo: experientia notum eſt me eſſe imperfectum, & dependentem; dolorem enim multoties ſentio, cupiditatibus angor, dolore percellor, Hæqualitates ſunt, quæ defectum, & dependentiam deſignant, quibus carerem ſi perfectus eſſem: ſi igitur meam dependentiam, & imperfectionem agnoſco, ſignum evidens eſt me perfectionis, & independentiæ, adeoque entis ſummè perfecti ideam habere. Idea enim privationis dependet ab idea poſitivi, nam tenebrarum idea haberi nequiret niſi ex idea lucis: Quapropter ſi verum fateri volo prior eſt in nobis idea Dei, quam noſtri ipſius: luce meridiana igitùr clarius eſt tantum cognitionem, quam Dei habemus, ſcientiam eſſe naturalem, utpotè facultatem intellectui à Natura inſitam, non verò Mathematicam.

In

In Secundam Lectionem.

MUlti equidèm preſtant, utque malè Philoſophantium Principia evertant, & perſpicacis ingenii apud Vulgares homines gloriolam captent, tela jaciunt in hoſtem, quem ipſis fingunt: Non eorum cenſui adiiciendos vos eſſe voluiſſem, plurimum enim mea refert veſtrum gloria, & fama per univerſum Terrarum orbem. Dum enim Charteſii Principia examini veſtro ſubiicitis, ut refellatis, ea juxta Charteſii mentem, non alitèr excogitata exponere debetis. Noſter enim Author, cum per ideas claras, & diſtinctas, ac per generaliſſimas Propoſitiones, quæ negari nequeunt, ſuum conflaverit Siſtema, atque ex his geometrico more conſequentias ad naturæ phænomena explicanda deduxerit, perarduum ſanè

erit

erit illud juxta ejus mentem expoſitum impugnare; Illud verò hìc inſerere non abs re eſſe duxi, ut meliùs adversùs eum invehere valeatis.

Et primo ſupponit Renatus Materiam, & extenſionem idem eſſe; quod ſic probari poſſe ei videtur per Analiſim inſtitutum: Cum quatuor ſint prædicata, quæ omnibus corporibus communia ſunt, nempè Impenetrabilitas, Diviſibilitas, Figura, & Extenſio: In quocumque enim corpore has proprietates, tamquam inſeparabilia prædicata invenimus, & jure merito dicere poſſumus in horum uno corporis naturam repoſitam eſſe: Si igitur unum ex his quatuor prædicatis, quæ corpori eſſentialitèr competunt, tale ſit, ut nullam ab aliis habeat dependentiam, imò alia tria ab illo dependeant, neceſſario concludemus illud corporis naturam eſſe;

Si

Si mentis aciem in id intendamus, cernemus Extenſionem in longum, latum, & profundum ejuſmodi eſſe quam Impenetrabilitas, Figura, & Diviſibilitas; Quippe, quia nulla ex ipſis concipi poteſt abſque conceptu Extenſionis, & è contra Extenſionis ideam habere poſſumus abſque eo, quod ad figuram, impenetrabilitatem, & diviſibilitatem attendamus, concludi proinde poteſt corporis naturam in ſola Extenſione reponendam eſſe, hujus enim idea ab idea corporis ſeparari nequit.

His veris ſtantibus ſupponit ſecundo Materiam, ſeu Extenſionem; quæ una, atque eadem exiſtit; à Deo diviſibilem, imò actu diviſam fuiſſe creatam, & quidem in partes quamproximè inter ſe æquales, atque has materiæ particulas ab initio motas à Deo fuiſſe, ea motus quantitate, quæ actu perſeverat, & perſe-

ſeverabit ordinario Dei auxilio, quanta autem ſit, & quot diverſas habuerit determinationes non eſt facile, nec neceſſe determinare.

Ex his primo deducit, cum motus rectus naturalis, & ſimpliciſſimus ſit, Materiæ particulæ jam diviſæ ſeipſas motu recto moviſſent, niſi particulis aliis contraria determinatione motis occurriſſent: Quare juxta motus regulas, è recto motu reflexæ fuere, & novum aliarum particularum occurſum paſſæ circularem quemdam motum acquiſiviſſe circa aliquod centrum neceſſe fuit: Unde factum eſt quod univerſa Mundi Machina in varios Vortices, ſeù Materiæ varias circumgirationes abiiſſet. Hi autem Vortices, ſeù materiæ jam diviſæ circa varia centra circumvolutiones non ſupponendi ſunt omnes æquales, ſed potuit unus major,

alius minor fieri, prout major, vel minor numerus particularum circa commune centrum convolutus fuerit; Nec etiam credendum ipſos exactè rotundos eſſe, tum quia particulæ, quæ ſunt in Ecliptica (in unoquoque enim Vortice, & Eclipticam, & Polos, & Axem, & Centrum conſiderare eſt) majorem motum habent, quam eæ, quæ ſunt circa ejuſdem Polos; Tum etiam quia tres Vortices, qui ſe contingunt ſecundum ipſorum ſuperficiem neceſſariò ſpatium triangulare inter eos ipſos retinent, quod cum vacuum eſſe non poſſit, materia unius, duorum, vel trium illorum Vorticum repleri debet, quare fit, ut à rotunda degenerent figura.

Advertendum eſſe hîc cenſeo varios hos materiæ vortices eo modo, hoc eſt, verſus eas partes moveri, ut motibus

vici-

vicinorum Vorticum non adverſentur, cujuſque enim motus debet cum motu vicini conſentire; niſi quidem conſentiret, vel unus alium deſtrueret, vel impediret; Nè autem hi Vortices ipſis mutuò adverſentur, aliquantulum inter eos inclinati eſſe debent, adeoque Polos habere à Polis vicinorum magis remotos, quam ab Ecliptica, in hac autem re quodlibet ſupponi poteſt, quod & motus legibus, & rerum apparentijs congruere deprehenditur.

Univerſa hæc materia in tria particularum genera diviſa eſſe debuit. Cum enim in principio rotundæ eſſe non potuiſſent; ſi utique rotundæ fuiſſent, inane inter illarum interſtitia eſſe debuiſſet, quod eſt impoſſibile; Verùm ex motu, quem in quolibet Vortice acquiſiverunt, rotundæ, ſeu ſphericæ fieri debuerunt, attritis ſcilicet earum an-

gulis, & extuberantijs ob repetitum in varias partes occurſum; Quoniam autem ſpatia inter hos globulos relicta, vacua eſſe non potuerunt abſque dubio à rammentis exiliſſimis, & variæ figuræ, ortis ex attritione extuberentiarum ipſorum globulorum impleri debuerunt: Has particulas motu celerrimo agitatas eſſe credendum eſt; Nam præter motum, quem cum globulis communem habent, feruntur quoque per interſtitia ipſorum globulorum. Negari tamen non poteſt ex tot, tantiſque Materiæ particulis, quamplurimas, vel ob magnitudinem, vel ob irregularem figuram ad motum ineptiores facilè ipſiſmet mutuò adhæſiſſe: Atque ex his evidenter colligitur tria eſſe Mundi Elementa, hoc eſt, tres primas formas, ut ita dicam, quæ primò in Materia totum vorticem componente introductæ

ſunt.

ſunt. Et quidem primum Elementum vocat Charteſius particulas eas rammentoſas interſtitia globulorum complentes, quæ ſubtiliſſimæ ſunt, & ſummè agitatæ. Secundum dicitur illæ particulæ mutuo attritu tandem ſphæricæ factæ. Tertium vocat particulas illas, quæ ob craſſitiem, & figuram irregularem minus ad motum aptæ exiſtunt. Et hoc eſt quantum Charteſius excogitavit, ex quibus mirum quantum uniuſcujuſque Phænomeni cauſam reddere in promptu eſt. Quamvis enim ſomniata ab eo videantur, verum tamen nec fidei, nec motus legibus, nec rerum effectibus repugnant; imò multa ſunt phænomena, quæ hoc tantum Siſtemate explicari poſſunt.

His breviter enarratis, non quia vos eruditiſſimos juvenes laterent, mihi enim palam eſt, quanta vobis inſit co-

gnitio, cum ſitis D. Chryſoſtomi Scarfò, qui, è pubertate ſua, in omni diſciplinarum, ſcientiarumque genere verſatus, maximę ſtudioſis omnibus admirationis motivum dedit, aſſidui auditores; Nè fruſtrà tererem hanc diem, quæ per otium vacavit, manui ſcribere cupienti, quamvis malè cogitata, ſatisfeci;

Sed tempus nunc eſt, ut veſtris rationibus Charteſii Extenſionem excogitatam reprobantibus reſpondeam. Et primò non per hoc quod Extenſio in longum, latum, & profundum indefinitè diviſibilis, chymerica eſt exiſtimanda. Cum materiæ diviſibilitas in finitum quemnam numerum inveriſimilis ſit; Nam imperceptibile, quomodo aliquid ſit extenſum, & ſemper mens mea poſſit concipere partem extra partem, & illud non ſit diviſibile.

Præ-

Præterquamquod videtur limites ſat anguſtos menti cogitanti, & ipſimet Dei Omnipotentiæ præfigere velle; Ex alia parte in infinitum eam diviſibilem nec minus dicere poſſumus, cum mens noſtra infinitum capere non poſſit; Rationi igitur conſentaneum Materiæ Diviſibilitatem non poſſe definiri, hoc eſt, apud nos indefinitam eſſe; Neque inſtetis Materiæ Diviſibilitatem ſaltem impoſſibilem eſſe ex hoc capite, quod mens eam capere, & imaginari nullo modo poſſit; Nam hic craſſus eſt error Philoſopho indignus, multa enim ſunt etſi veriſſima, quæ imaginationi comprehendi nequeunt, ut in re ſimili exiguæ auri particulæ in innumeras bracteas diviſio, atque earumdem in immenſam fili longitudinem extenſio.

Præterquamquod etiam ſi vos par-

tium infinitatem mente capere non poſſe dicatis, tamen in una atomo infinitas partes deſignabiles adeſſe diffiteri non poteſtis: Quapropter etſi mirum videatur Achari pedem in tot partes dividi poſſe, quot ipſi Cœli, non per hoc abſurdum eſt exiſtimandum; Nam majus abſurdum mihi videtur dicere Deum omnia potentem, nihil ei factu repugnantem, non poſſe uſque ad determinatam menſuram Achari pedis partes dividere. O abſonum! Et tamen exiſtunt qui aſſerunt, quod ſi daretur atomus montem æquans, quod per Atomiſtas omnes non repugnat, non poſſet hæc atomus à Deo dividi.

Ad ſecundam argumenti veſtri rationem, in qua affirmatis Charteſium irrationabiliter loqui, cum nempe aſſerit, omnia entia ſecundum ſe moveri motu recto utpotè ſimpliciſſimo, &

ma-

materiæ particulas motas fuiſſe ab initio creationis motu circulari ; dico Charteſium ſanè irrationabiliter loqui, & malè iſta duo componere, ſi id diceret; Verum id numquam ſuppoſuit Renatus ; Dixit enim omnia entia motu moveri ſecundum ſe recto utpotè ſimpliciſſimo , ut ex motus regulis patentiſſimè conſtat ; Materiæ verò particulas ab initio etiam motu recto à primo Motore motas eſſe , ſed varia determinatione , ut in ſuis Principijs videre eſt ; Quoniam autem Motus hic diverſis Materiæ turbinibus variè determinatus erat , aliquam Materiæ partem obliquum motum adipiſci neceſſe fuit.

Nec quidpiam urget inſtantia ; motum iſtum circularem tandem minui, & deficere debere utpote contra naturalem inclinationem ; Nam certum eſt

Cœ-

Cœlos in obliquum motum moveri circa terram, nec tandem à tot ſæculis minutum eſſe, nec poſſe deficere ratio ſuadet, niſi Naturæ Authoris nutu; Conſonat quidem immutabilitati Dei motum ſemper eumdem eſſe, & perſeverare. Corpora enim quæ in obliquum moventur, vel determinatione recta amoventur à corporibus duris, & tunc corpus nihil motus ſui deperdit, vel amoventur recta etiam determinatione à corporibus mollibus, ac tunc quidquid motus deperdit, mollibus corporibus communicat, & ſic viciſſim, ut conſideranti patet.

In Tertiam Lectionem.

INanes vanè cenſerem eorum mentes, quos de Vacuo ſermonem inſtituere non puderet, utpotè qui de re

re agerent naturaliter, & ſuper naturaliter impoſſibile; Non inconſultò, nec abs re verò in hac tertia Lectione Vacuum probare conamini, maximum enim eſt fundamentum ad veſtras Atomos pro rerum Principiis adſtruendas, adeoque maxima laude digni eſtis; mirum non eſt, ſi cuipiam in animum cadit rem actu exiſtentem, vel poſſibilem rationibus probare, mirandum tamen rem omni jure impoſſibilem rationibus poſſibilem facere, quod non niſi maximi ingenij ſoboles eſſe poteſt. Mihi verò quamvis veſtrę rationes ſatisfaciant, tamen ſimplici tantum perceptioni ſatisfaciunt; proinde aliis craſſioribus ſuffultus principiis operæ dignum me facturum exiſtimo ſi inſtantiam addam ſolutioni à vobis traditæ, urgenti, ac maximè concludenti Renati argumento, ex quo ſiç extricamini

va-

vacuum nempe eſse quid privativum, adeoque hoc definitis *locum corpore carentem*: Cui definitioni ſic arguo: Vel nomine loci intelligitis locum externum, vel internum. Non poteſtis intelligerę locum externum; eſt enim locus externus ultima ſuperficies corporum ambientium, ſic pilæ in aere contentæ locus externus dicitur ipſemet aer illam immediatè contingens. Vel nomine loci intelligitis locum internum, & cum locus internus idem ſit cum extenſione idem eſt dicere locum ſine corpore, ac extenſionem ſine extenſo, quod manifeſtam implicat repugnantiam, & cæcis ipſis perſpicuum; locum verò internum idem eſse cum extenſione luce meridiana clarius eſt; nam dum, exempli gratia, educitur aqua è vaſe, putamus extenſionem aquæ eſse ſimul eductam, utpotè inſeparabilem ab ipſa, ac

vi-

vinum dum infunditur, dicendum aquam ſuum efferre locum internum; vinum verò ſuum locum internum afferre, cum locus internus ab ipſo corpore non diſtinguatur; Cum verò vulgò dicitur unum corpus locum alterius occupare, intelligitur de loco externo, hoc eſt de ſuperficie, quæ proximè ambit locatum, ſic in allato exemplo vinum eundem locum, quem aqua prius occupabat, occupare dicimus, eoquod ab iiſdem vaſis lateribus ambiatur, à quibus antea aqua continebatur.

Rationes verò, quibus dari vacuum probatis, parùm conſtant; Et primò corpora majus, vel minus pondus habere ex majori, vel minori vacui ſpatio falſum eſt, vel ſaltem adhuc ſub judice; Nam rationabilius, & majori fundamento puto corporum gravitatem, & levitatem pendere ex aeris preſſione, & pro-

propriè globulorum ſecundi Elementi, quos vocat Charteſius, qui cum circa Terram agantur, quidquid è Terra elevatur in ea, tamquam in centro ſui vorticis deprimitur ob maximum conatum, quem habent rectâ ſe movendi: Corpora verò dicuntur minus gravia, quæ plus materiæ Cœleſtis in propriis continent poris, quæ materiæ cœleſtis portio æqualem materiæ cœleſtis portionem otioſam reddit; hac de cauſa, cum lana ampliſſimos habeat poros, & plus contineat materiæ cœleſtis, quam plumbum, quod arctiſſimos habet poros, ſequitur plumbum majorem, quam lanam, recipere à materia cœleſti preſſionem, quam pondus dicimus.

Ad ſecundam. Datur corpus plenum: ergò datur corpus vacuum. Negatur conſequentia. Non enim uno poſito contrario ſequitur & aliud; Nulla in-

quam

quam eſt contrarietas in rerum natura. Data equidem albedine nigredo negari poſſet, & adeſſe alius color præter nigredinem. Præterquamquod albedinis ideam habere poſsumus, nullo alio colore exiſtente.

Ad tertiam Arboris ramos creſcere ſuſcepto alimento per porulos; Verum ſanè eſt, ſed poruli illi repleti ſunt materia cœleſti, corpora ſive dura, ſive mollia pervadente; Nutritius autem ille ros ſurſum aſcendit expreſſione facta circa arboris radices ab ambiente, materia enim Cœleſtis in porulis incluſa ſucco advenienti cedit, ac fit quædam circumpulſio, & circulatio in quolibet motu neceſſaria, ut ex Malpighij experimentis colligere eſt; Notandum tamen hic ſolam tantum aeris circumpellentis vim non poſſe ſufficere ad ſuccum nutritium aptum reddendum, ut

in

in porulis arboris ſe inſinuet, ſed concurrit calor ſubterraneus, Solis, & fermentationes in Terræ ſuperficie è pluvijs excitatæ, quibus nitroſorum ſalium fit ſolutio, & commotio, qua perenni agitatione, & aeris preſſione ſurſum per arboris poros evehuntur.

Ad quartam. Aqua vitro incluſa frigeſcit, & rigidum permanat frigus ad oſſa juxta Lucretium; quod non ex alia ratione fieri poſſet, niſi inania eſſent, per quæ corpora quæcumque tranſirent: Id parùm firmum mihi videtur, nam ſi verum eſſet, non ex alia ratione nos poſſemus aquam refrigerare, & frigus perſentire, niſi ex intromiſſione per poros particularum frigidarum. Experientia conſtat multa adeſſe ſalia Mineralia, quæ licet actu valida ſint, tamen aquam optimè frigefaciunt, hujuſque generis ſunt omnia

ſalia

ſalia nitroſa . Inſuper patet nos frigus multoties perſentire per aſſumptionem alimentorum, vel pharmacorum quorumdam, quæ nullum ſenſibile habent frigus. Id ex alia cauſa petendum eſt; Calor enim, & frigus ſenſationes ſunt, quæ in nobis fiunt, & tunc calore affici dicimus, cum quidpiam vel externè, vel internè potens partes tam ſpirituoſas, quam fibras ipſas agitare, nobis applicetur; Frigus verò perſentimus, cum ſanguinis inteſtina effervеſcentia reprimitur, ac proinde ſpirituum exploſivus motus retardatur, qui fit, ut nervoſæ fibræ veluti rigeſcant, & eſt quod frigus vocamus: Hinc ea corpora frigida nuncupamur, quæ ſiſtendi vim habent motum partium corporis noſtri, ea verò quæ augent calida dicimus. Aqua frigeſcit, cum ope nivis, vel ambientis frigidi in motu ſuo remoratur, motum

 ſuum

ſuum nivi, vel ambienti communicando, niviſque ſolutio ſequitur, motus enim ſemper eſt idem; Pariter ſalia quædam particulis aquæ motum ſua rigiditate adimendo eam frigidam reddunt.

Quo ad Unctiones externas dico quòd quamvis detur aliquod externum medicamentum, quod per intromiſſionem alicujus ejus volatilis particulæ operetur, locus tamen quem adeunt, occupabatur ab aliis particulis illius humoris, cujus correctionis, vel reſolutionis cauſa applicatum eſt medicamentum.

Ad id de annihilatione ſublunarium per Divinam Omnipotentiam dico, quod etiam remanet diſtantia ab una parte Cœli ad aliam, quæ diſtantia per me eſt corpus, ut ex ſupradictis colligi poteſt, neſcio enim quomodo per vos

poſſit

poſſit remanere hæc diſtantia, & eſſe nihil.

Alia ſanè patentiori via Vacuum probatis, experimentis nempe Domini Boyle, in quibus educto aere per Antliam, animalia pereunt, lux extinguitur, caro à putrefactione ſervatur, & alia hujus generis; Quod inventum ſat vobis probare videtur Vacuum; Verum adhuc ego inſto ibi non adeſſe inane, Nullo equidem modo ope Antliæ materia cœleſtis, ſeu ætherea educi poteſt, educitur tantum quod aer propriè dicitur, quodque reſpirationi, & luci inſeruit. Per aerem verò intelligo materiam cœleſtem repletam vaporibus, terreiſque exhalationibus, quæ carnis putrefactionis ſunt cauſæ, motum nempe fermentativum carni inducendo; In his enim recipientibus remanere æthercam materiam ex eodem Domino Boyle con-

conſtat, ſonus utique ibi excitatur, qui aeris eſt undulatio, & agitatio, ut Ariſtotelis, Charteſii, omniumque Philoſophorum communis eſt opinio. Et hìc Colophonem his infimi ingenii mei perluſionibus imponens, à vobis obſecror diligentiſſimi Juvenes, veſtrarum ſcientiarum clypeo præmuniri, ut appaream apud homines tantorum virorum patrocinio teneri: Plurimam itaque ſalutem vobis dicor, precorque.

Addictiſſimus famulus N.N.

RE-

Reſponſiones afferuntur.

Admodum Perillaſtri Domino N. N.

LAudare, ac perlaudare tuas vellemus acutas Objectiones, ſimulque tuo nutu, noſtrum, tamquam proprio Domino rationem reddere, at quid primum dicemus? Unde incipiemus? Tuam nè reprehendemus noſtra verbis ad aſtra extollentem, rebuſque ad ima propellentem ſcripta, fallacem Rethoricam? An firmas in Philoſophię globo prædicabimus veritates? Sic enim deceret, & juſto Judice, Veritatem invocare inorditatum non eſſet: Hinc Veritas ipſa Protectio, ac Defenſio, Murus, Cuſtodiaque noſtra: Ipſa ſuo irradiet lumine breves has reſpon-

ſiones ; Rerum forte ſit Naturarum, exiguique hujus operis fulcrum : Ipſa; Non alienæ Objectiones , lucis meridianæ nomine, tenebras falſitatum, nubeſque errorum mentibus offerentes; noſtri Acutiſſimi Præceptoris currentes lectiones gloria induat ; cum tota amabilis, à bonitate indiviſa plures nobiſcum teneat filios, ac defenſores, parum , atque nil inficientes pluſquam inimici Adulatores : Sic gentes agite greſſus, tollite velum, nudaque ſtudioſorum oculis Veritas noſtra amplexanda monſtretur.

In Primam Impugnationem.

QVas ſcientificas verbis appellas lectiones , eaſdem re figmenta eſſe autumas , dum mirum in modum contra illas inveheris ; ſed

nè fortè in animum tibi cadat optatum accepiſſe bravium,tuis ingenioſis equidem Oppoſitionibus Lucubrationes, atque reſponſiones ſuccisſivis temporibus editas addidimus, atque objectavimus. Et primo

Fallitur qui putat nomine fæcunditatis intellectui à natura inſitæ venire ſpecies aliquas per ſenſus non acceptas. Cum enim certiſſimum ſit apud omnes ſani judicij Philoſophos nihil in intellectu eſſe poſſe,quin prius fuerit in ſenſibus , illam vocamus fæcunditatem à natura inſitam intellectui , quæ opera, induſtria , ſive labore non acquiritur; ut ſunt Philoſophia , atque Theologia, ea methodo traditæ , qua in ſcholis conſueverunt ; ſed per ſpecies ex auditu cõceptas naturaliter habetur. Exemplum deſumimus ex Ariſtotelicis , qui dum logicam etiam naturalem dari aſ-

ſerunt, ſic probant, effatum: Omnibus ſiquidem hominibus etiam barbaris, & imperitis indita eſt quædam facultas in perfectè ſaltem diſcurrendi, aliqualiter definiendo, dividendo,& argumentando: Qua ſuppoſita explicatione, benè evincit allatum ruſtici exemplum Mathematicam naturalem ſcientiam eſſe; ex eo quia per ſpecies auditas abſque ſtudio, &c. naturaliter ſcit ruſticus quadratum B duplam proportionem habere ad quadratum A.

Fallitur etiam, & quidem ut ultra falli non poſſit, qui aſſerit ideam aliud ſignificare quam formam rei extrinſecam, ad quam reſpiciens artifex operatur. Ita cenſuere omnes Philoſophi, qui ante annum 1640. ſcripſere, & qui uſque adhuc, ſi Renatum Des-Chartes excipias: Vide Philoſophos, & præcipuè Divum Thomã q. 3 de verit. Art. 1.

ex

ex Auguſtino 12. de Civit.cap.25. qui ait, quod idea eſt forma, quam aliquis imitatur ex intentione agentis determinante ſibi finem: Unde Joannes Baptiſta Gonet Tomo 1 ſui Clypei trac. 3.diſp.7.Art.1.dicit ideam eſſe formam objectam intellectui intra ipſum exiſtentem,ad quam aſpiciens artifex operatur. Addens ideò ideam appellari formam, quia, teſte Auguſtino, Idea græcè, latinè forma dicitur. Et Divus Dioniſius cap. quinto de Divinis Nominibus ſic ait: Ideas nominari in Theologia prædefinitiones Divinas, & bonas voluntates, exiſtentium prædeterminativas, & effectivas, ſecundum quas ſuperſubſtantialis eſſentia omnia prædefinivit, atque produxit: Ex quibus conſtat ideam nil aliud quàm formam extrinſecam importare: Hoc igitur poſito, quomodo dari poſſit idea in-

nata

nata in homine intelligere non valeo. Si enim detur cæcus à nativitate , qui neque naves , neque palatia vidit, & interrogemus eum , quo pacto ligna ordinare poterit, ut tutiſſima ſint ad mare traiiciendum , pondera pluſquam gravíſſima tranſportanda , & quæ vi ventorum ſuper aquas penè avolare valeant ? Profectò reſpondebit ita inordinatè, ut riſum non ciere ſit prorſus impoſſibile : Igitur idea omnis ex ſpeciebus ſenſibilibus hauriri debet , neque nobis innata eſt ut ſomniavit Plato, qui finxit à Prima Mente ideas in mentem Angelorũ effluere, Ex mente Angelica in Animam Mundi ; Sive , ut placuit Averroi, in intellectum communem abſtractum ; qualem ipſe ſomniavit ; Ex Anima Mundi in formas Cœlorum : Ex formis Cęleſtibus in Materiam formarum omnium receptricem : Quapropter

pter Ariſtoteles Platonis ideas ut mera figmenta deridens ait : *Valeant Platonis ideæ , quia nihil ſunt , aut Monſtra ſunt.*

Fallitur tertiò , & ; ni fallimur etiam & nos; contra Apoſtolum ad Romanos decimo , & Tridentinum ſeſſione 6. cap.6.ſentit, qui exiſtimat homines habere ſpeciem innatam Dei : (non enim ſpeciem audemus vocare ideam , cum in rebus explicandis ijs nominibus uti debeamus, quibus omnes utuntur ; ſed omnes, excepto uno Des-Chartes, nomine ideæ formam extrinſecam rei à nobis factibilis exprimi aſſerunt : ergo nullo modo ſpeciem alicujus rei appellare poſſumus ideam) Ex eo quia petimus à te noſter Chartiſta, vel Ruſtici credunt Deum eſſe , vel non : ſi ſecundum erunt infideles, aut hæretici,& incapaces tum primæ,tum ultimæ ſalutis,

quia

quia ſides in Deum eſt neceſſaria neceſſitate medij in quacumque lege, juxta illud Apoſtoli ad Hæbreos II. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt*: Ex quo inſupèr ſequitur illos non habere ſpeciem innatam Dei; ſi enim illam haberent, crederent; ſed per te non credunt: ergò non habent ſpeciem ſuppoſitam: Si primum. Quomodo credent ei, quem non audierunt? *Quomodo autem audient ſine prædicante?* Ultraquamquod ex citato Apoſtolo habetur quod *fides ex auditu* præciſis formalibus verbis. Cui concinit etiam Tridentinum, quod agens de Juſtificatione ait: *Diſponuntur ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, &c.* Hinc amiciſſime depone quod tuum non eſt, ſententiam ſcilicet Renati, tuique Magi-

ſtri

ſtri & perpende quæſo hæc ſacra verba; Ex quibus ſic arguimus . *Fides ex auditu* concipitur ; ſed per te Ruſtici habent fidem,hoc eſt credunt in Deum: ergò ex auditu concipiunt fidem hanc: ergò non habent ſpeciem ullam innatam, alias credent ei, quem non audierunt , & fidem ex auditu non concipient , quod opponitur Apoſtolo , & Tridentino;

Sed ulterius perpendamus an poſſit haberi ſpecies, ſive ſimilitudo Dei, ſive innata, ſive acquiſita , dic ut vis, nos equidem conſuluimus virum quemdam non modò in politiori litteratura, Philoſophia, utraque Theologia; ſed etiam in alijs ſcientijs,liberalibuſque diſciplinis eruditum , qui nobis ut certum aſſeruit non poſſe hanc ſpeciem Dei in intellectu ſuo cognoſcere . Credit firmiſſimè Deum eſſe unum in eſſentia,

tri-

Digitized by Google

trinum in Perſonis , Omnipotentem, Primam Veritatem, &c. omnia ab Eccleſia propoſita; ſed tamen, quo pacto in ſuo Intellectu exprimere poſſit Deum, non percipit : Indica tu igitur nobis, oramus, obſecramus, poſcimus, deprecamur, petimus, ſupplicamus, ubi paſcat, ubi cubat hæc ſpecies, hæc tua idea, nè vagari incipiamus. Nos profectò ſcimus, utque certum admittimus, abſque dubitationis alea, intellectum humanum pro ſtatu hujus vitæ ea ratione reſpicere objecta, qua per ſpecies repræſentantur : atqui iſtæ omnia repræſentant per modum entis materialis : Nam repræſentant objecta eo modo, quo eadem repreſentantur per phantaſmata, à quibus abſtrahuntur ſpecies, ſeu ad quorum ſimilitudines efformantur. Vide Auguſtinum à Virgine Maria, & Joannem à Sancto Thoma

ma

Digitized by Google

ma dicentes Phantaſmata neceſſariò debere concurrere ad producendam determinatam ſpeciem intelligibilem in intellectu poſſibili; Necnon Sanctum Thomam q.10.de verit.art.6.ad 7. ſcribentem. *Intellectus poſſibilis ſpecies rerum accipit à phantaſmatibus*: Cum igitur Phantaſia, quia ſenſus eſt, non poſſit repræſentare intellectui niſi materialia, ideò intellectus, ut tuo abutamur termino, nullam habere poteſt ideam, niſi entis materialis; ac proinde cum Deus immaterialis ſit, non poſſumus Dei tuam habere ideam.

Vocamus nunc ad criſim rationes, quibus probas te habere tuam ideam innatam Dei. Quantum ad primam, claudicat primò in hoc quod in te agnoſcis ideam entis ſummè perfecti, &c. quod impoſſibile eſt, & maledictum, ut oſtendimus. Secundò ex eo quia

ad-

admittit ex imperfectiori non poſſe gigni perfectius abſque ulla limitatione; Nam ſi non de facto, ut volunt Ariſtotelici, ſaltem de poſſibili Cœli cauſare poſſunt plantas,&c. quæ utpotè animata ſunt illis perfectiora; Item turpiſſimus homo, gibboſus, cæcus, ſurdus, alijſque defectibus plenus gignit filium pulchrum, rectum, videntem, & audientem. Inſtrumentum quodlibet cauſat effectus ita ſe perfectiores, ut ultra penè excogitari naturaliter non poſſit, bruta etiam in imaginatione habent ſpecies hominis, præcipuè Dominorum, quæ utique ſunt acquiſitæ, cum unum Dominum ſequantur, non alium.

Tertio, quia diſpar eſt ratio inter commune axioma, quod ex nihilo nihil naturaliter fieri poteſt, & quod ex imperfectiori perfectius, ex eo quia, ut expendunt Sacri Doctores, ad Creatio-

nem

nem requiritur virtus infinita, quæ nullimodè competere poteſt creaturæ ; In generatiene autem perfectioris ſufficit virtus finita, ſcilicet, ſuppoſita entitate. poſitio illius in quo perfectiùs excedit imperfectius , quod benè competere poteſt creaturæ : Antecedens igitur cum has patiatur difficultates, quæ reddunt ipſum pluſquam falſum , conſequens, ut ſupponis, per legitimam conſequentiam illatum , quo pacto erit verum cupimus non ſeverè , ſed ſincerè erudiri.

Quantum ad ſecundam conſequentiam ex hoc primo argumento illatam, ſcilicet quod ex eo quod in te habes tuam ideam Dei certocertius credis Deum eſſe ; antequam de illa judicium proferamus , liceat tantiſpèr ut noſtro juſto furori parcamus exclamare . O' Maxime Baſili, ò Seraphice Doctor, ò

Angelice Præceptor ; O quotquot naturalem Philoſophiam , aut Theologiam uſque adhuc tradidiſtis, quomodo Atheiſmum, vel Polytheiſmum rationibus naturalibus demonſtrare autumatis , & rationem hanc Charteſianam ignoraſtis ? Quare demonſtrationibus in iſta veritate (ſcilicet quod Deus unus ſit) probanda uti pollicemini, & undequaque fortiſſimum hunc ſyllogiſmum ad expugnandas Atheorum , & Polytheorum falſitates quaſi colophonem non additis ? Quo pacto , cur nam . . . . . Silete , ſilete audaces , indocti pueruli ; ita reſpondere nobis eos audivimus ; Sophiſma hoc demonſtrationem nominatis ? Inſenſati quis vos faſcinavit ut falſum verum eſſe putetis? Ergo quia vobis Idea Charteſiana de Deo eſt , Deum exiſtere verum ? Minimè ita ſe res habet ; Ex eo quia multa intel-

intellectui veſtro repræſentat Phantaſia utì certiſſima, quæ tamen falſiſſima, eſſe nemo eſt qui ambigat? An non Chatiſta utì verum oſtendere putet atomos non eſſe prima rerum principia, quod tamen pluſquam falſum eſſe judicat Democritus, Epicurus, Maignanus, alijque permulti? An non ideam Dei idem habere præſumit, & huic ſuæ certitudini aliam non dari parem in Philoſophia exiſtimat, & vos tamen hoc non modò improbabile, & chymericum, ſed ut quemdam errorem maximum damnaſtis, rectèque demonſtraſtis? An non iſte in quocumque corpore tamquam inſeparabilia prædicata impenetrabilitatem, diviſibilitatem, figuram, & extenſionem inveniri exiſtimat; quod tamen ridiculum eſſe, imò orthodoxę fidei repugnare vos dicitis, & quidem certiſſimè? Igitur ratio ad probandam

Digitized by Google

Dei exiſtentiam à Chartiſta allata, non ad demonſtrandum Deum, ſed ad ambigendum de Dei exiſtentia deſeruit; Cum unuſquiſque agnoſcat ſe ſpeciem plurium rerum habere, quæ tamen nec exiſtere, nec ordinem ad exiſtentiam habere poſſunt. Igni noſtra ſcripta tradenda, perennibus tenebris Philoſophia damnanda, Theologia gemere deberet ſi alia naturali ratione ad hanc veritatem oſtendendam uti non poſſet, quam iſta; Atheiſmum graſſare totus orbis videret, ſi alia via illum non compeſceremus, imò penitùs profligaremus.

Huic Baſilij, Bonaventuræ, Thomæ aliorumque Doctorum judicio nos ſubſcribimus, atque conſequentiam malè ex antecedenti deduci affirmamus, rationemque Charteſij penitùs eijcimus, non modò ex allatis rationibus, ſed

etiam

etiam ex falſitate antecedentis, ut monſtravimus; ſed tantiſpèr perpendamus ſecundam rationem; illa profectò aliqualem bonitatem præſefert; habet enim (experientia notum eſt me eſſe imperfectum, & dependentem.)

Quæ ſanè verba indicant hoc argumentum deſumptum eſſe ex Divo Thoma 1.p.q.2.art.3. ubi ex diverſis gradibus bonitatis, & perfectionis, qui in rebus inveniuntur oſtendit Deum eſſe primum, ac perfectiſſimum ens. Cum tamen deinde ſubdis (*dolorem enim multoties ſentio, &c.*) mirum quantum illud vileſcit. Attende criſim. Ut demonſtratio ſit talis oportet ut in omni ſtatu ſuum pariat effectum, aliàs vel ſophiſticum, vel probabile tantùm erit argumentum putatum demonſtrativum; Si enim ratio quam adducit Ariſtotelicus ad probandam materiam

primam, ideò eſſet demonſtrativa, quia tantùm in ipſo cauſat evidentiam, profectò alia Siſtemata eſſent falſa, utpotè oppoſita demonſtrationi, contra quam non datur, non modò certitudo, ſed nec probabilitas: Probabile enim eſt id quod neque evidenter eſt certum, neque evidenter falſum: Sed materia prima evidens eſt Ariſtotelico: ergo concluſio oppoſita nec etiam erit probabilis, utpotè oppoſita concluſioni evidenti, ac proinde evidenter falſa: Perpendamus igitur nos, an ex eo quia dolore afficiamur, debeamus nos ità imperfectos cenſere, ut ex hoc capite dari Deum cognoſcamus

Porro nè in judicio ferendo aberraremus, Jordanem versùs iter arripuimus, & ad portam terreſtris Paradiſi nos transtulimus, ut ſermonem cum Angelo loci illius cuſtode haberemus, à

quo

quo cum humillimè, utì decebat, poſtularemus, an ibi noſter Protoparens dolore, ægritudine, triſtitia fuiſſet immunis reſpondit ille nobis. Habetis Auguſtinum, Thomam, Marium Victorem, alioſque, quos conſulere optimè poteſtis, ad illos pergite: Dictis ſtatim obtemperavimus, hos adivimus, Auguſtinumque 14. de Civitate cap. 10. dicentem audivimus (*Quid timere, aut dolere poterant in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi non aberat quidquam, quod bonavoluntas non adipiſceretur, neque in erat quod carnem, vel Animum hominis feliciter viventis offenderet, vel in aliquo moleſtaret?*) & cap. 26. *nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas moleſtias, ullis ejus ſenſibus ingerebat, nullus intrinſecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinſecus. Summa in carne ſanitas; In*

 Ani-

Anima tota tranquillitas; Sicut in Paradiſo nullus eſtus, aut frigus, ſic in ejus habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bonæ voluntatis offenſio. Non laſſitudo ſatigabat otioſum, non ſomnus premebat invitum. Thomas etiam opuſculo 2. cap. 185. dixit (*Homo in ſui conditione taliter inſtitutus fuit à Deo, ut corpus omninò eſſet Animæ ſubjectum; rurſumque inter partes Animæ, inferiores vires rationi abſque repugnantia ſubijcerentur, & ipſa ratio hominis eſſet Deo ſubjecta. Ex hoc autem quod corpus erat Animæ ſubjectum, contingebat quod nulla paſſio in homine poſſet accidere, quæ dominio Animæ ſuper corpus repugnaret; Unde nec mors, nec infirmitas in homine locum habebat. Ex ſubjectione verò inferorum virium ad rationem, erat in homine omnimoda menti tranquillitas*

(ad-

addens aliquibus interiectis) *Unde quædam immortalis vita, & impaſſibilis erat, &c.* Adiite etiam Marium Victorem lib. 1. in Geneſim hæc habentem de protoparentibus noſtris:

Nè prorsùm obnoxia morbis
Corpora geſtabant. Non hos cogebat ad eſum
Pauſæ ignara fames: qui ſi mandata ſupremi
Servaſſent integra Dei, crudelia mortis
Imperia, & diros neſciſſent uſque dolores.

His auditis hoc argumentum contra te noſter bone Chartiſta efformavimus. Ideò cognoſcis te eſſe dependentem, & imperfectum, quia dolorem ſentis, cupiditatibus angeris, dolore percelleris: ergo ſi dolorem non ſentires, &c. non eſſes dependens, & inperfectus. Probamus

mus conſequentiam. Ceſſante cauſa, ceſſat effectus, ſed cauſa tuæ dependentiæ, & imperfectionis eſt, quia dolorem ſentis, &c. ergo ſi illa ceſſaret, hoc eſt, ſi dolorem non ſentires, &c. non eſſes imperfectus. Conſequens eſt falſiſſimum: ergo, & argumentum tuum erit monſtrum. Nunc ſubſumo; ſed Adam dolorem non ſentiebat, &c. ut ex Auguſtino, Thoma, & Mario Victore vidimus: ergo dicendum eſt quod, vel Adam non erat dependens, vel quod tu maximè erras in allato argumento, prius eſt contra fidem: ergo pluſquam certum poſterius.

Hoc loco etiam eſt advertendũ non eſſe verum quod vis ſcilicet (ideam privationis dependere ab idea poſitivi) ex eo quia cæcus à nativitate cognoſcit tenebras, & tamen non cognoſcit lucem, cujus privatio ſunt tenebræ.

In-

Indoctus cognoſcit ſuam ignorantiam abſque ulla ſcientiarum cognitione: non eſt igitur neceſſaria ad cognoſcendum poſitivum, cognitio privativi. Similiter fatemur infinita entia eſſe poſſibilia, quæ tamen quia non exiſtunt, nec exiſtent, illorum cognitionem habere non poſſumus: igitur notitia privationis exiſtentiæ horum entium non dependet à cognitione poſitivi. Tandem antequam ad criſim ſecundam impugnationem vocemus, aliqua hìc obſervanda nobis occurrunt ſuper illa verba ſcilicet (Hìnc ſequitur, quod ſi in me agnoſcam ideam entis ſummè perfecti, potentis, & ſummè intelligentis, cumque facilè videam hanc ideam non potuiſſe à me ipſo in me produci, qui me cognoſco multarum perfectionum indigum, multa facere, & dicere cupientem, neceſſariò *cogor, ut credam*, ipſum

ens

ens omnium perfectionum, omnis potentiæ, & *ſapientiæ capax,&c.*) de hoc verſu certò certius dicere poſſumus.

> *Quem cernis verſus triplici tenet ordine menda,*
> *Gerionis Monſtrum ſcilicèt hic recubat.*

Tres enim continet errores pejores prioribus. Primus eſt ibi (*neceſſariò cogor, ut credam*) ex eo quia nos non neceſſariò, ſed liberè credimus in Deum, quod duplici evincimus argumento. Primò quià omnis actus meritorius neceſſariò debet eſſe liber; ſed elicere actum fidei circa exiſtentiam Dei eſt actus meritorius: ergo eſt liber, ac per conſequens non *neceſſariò credimus* in Deum. Secundò quia actus præceptus ſupponitur liber, ut patet inductione; præcipitur enim adoratio unius Dei, cultus erga parentes, abſtinentia fornica-

ca-

cationis, &c. quæ omnia liberè fiunt, ſed actus fidei eſt actus præceptus: ergo eſt liber. lege Theologos omnes aſſerentes fidem eſſe aſſenſum liberè elicitum, ut Divus Auguſtinus tract. 26. in Joannem ait: *multa poteſt facere homo non volens, credere autem non poteſt, niſi volens.*

Deinde nullam oſtendis habere notitiam terminorum, cum ais *neceſſariò cogor*; Nam neceſſarium exprimit id quod eſt à principio intrinſeco, cum determinatione ad unum per modum naturæ, ut ſunt actus primoprimi; Coactum verò eſt id quod eſt à principio, ſeu agente extrinſeco paſſo contradicente; Unde vides neceſſitatem, & coactionem opponi in hoc, quod prius non tollat voluntarium; poſterius verò tollat; ac proinde ignorat terminos, qui dicit ſe neceſſariò cogi. Eumdem erro-

rem

rem obſerva in verbis illis *cogor ut credam*; Ex eo quia actus fidei procedit à principio intrinſeco; cogi vero dicitur ille, ut vidimus, qui ab agente extrinſeco patitur violentiam ipſo contradicente, ac per conſequens nemo ad credendum poteſt cogi. Hæc obſervata noſter Doctor voluit, ut aliquantulum rumorem ſuperbientium Chartiſtarum compeſceret; Iſti enim ſtatim ac quatuor lectiones Chartesianæ Philoſophię memoriæ demandarunt, plus de Deo ſcire, quam primæ notæ Theologi pręſumunt; ſæpiùs igitur aceto ora purgent, nè peſtifero ignorantiæ halitu alios perdant.

Secundus error eſt ibi: *credam*. Uſque adhuc naturalem ſcientiam vocas tuam ideam Dei, & nunc à *ſcire* ad *credere* gradum facis: an neſcis quod actus ſcientiæ, & fidei de eadem verita-

te,

te , & objecto non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubjecto ? lege Divum Thomam 22. q. 1. art. 5. dicentem--Omnis ſcientia habetur per aliqua principia per ſe nota, & per conſequens viſa, & ideò oportet quæcumque ſcita aliquo modo eſſe viſa, non autem eſt poſſibile quod idem ab eodem ſit viſum, & creditum; Et in reſponſione ad ſeptimum *de eodem ſecundum idem non poteſt eſſe ſimul in uno homine ſcientia, nec cum opinione, nec cum fide*... Et aliquibus interiectis: *quia ſcitum eſt viſum, & creditum eſt non viſum*; ſed tu autumas habere actualem Dei ſcientiam, dum actu argumentum conficis: ergo in eodem actu non habes actum fidei de eadem veritate à te per ſcientiam cognita, ac proinde dicere debueras. *Neceſſitor ut ſciam*)

Tertius eſt ibi *ſapientiæ capax*: nam

ca-

capacem dicimus eum, qui licet non habeat actu, poteſt tamen habere; ſed nequit dici perfectionem aliquam Deo deeſſe, cum ex alia parte eſſe ſapientem perfectio ſit; nam melius eſt eſſe ſapientem, quam non eſſe: ergo nequit dici Deum eſſe *capacem ſapientiæ*, ſed ſapientem.

Profectò ex hoc tuo ſcriptulo colligimus quantum expedierit, ut Romanus Pontifex tui Charteſii opera profligaſſet, donec expurgentur; & quamvis plura ab iſta prohibitione luſtra tranſierint, cenſura tamen hac adhùc illa tenentur; forſitan (veritati locum relinquimus, loquimur enim, ut ſentimus) unicus modus ad illa corrigenda aptiſſimus ignis eſſet omnia comburens; ſed quæſo ad ſecundam impugnationem gradum faciamus; omnia enim attendere nolumus, nè operi huic finem

im-

imponamus anno illo, qui cum ſit quartus non habet biſſextum.

In ſecundam impugnationem.

EA eſt noſtræ ætatis conditio, & ſanè deplorabilis, ut cum quis argumentum jaculis ità teneatur, ut nullà ſuperſit ſpes evadendi, ſtatim ſe, aut bracteatis verbis, aut re aliud ſentire autumet. Hujus generis Pſeudophiloſophis te adſcriptum agnoſcimus; cum enim rationes ad evertenda Renati, non jam principia, ſed ſomnia, & falſitates, à nobis adductas undequaque efficaciſſimas agnoviſti, ut illas effugeres, alio, modò tui Des Chartes principia, uti credis, expoſuiſti. Sed vera loquimur; tua verba nos non terrent, quæ præmittis Threni nil tibi juvant; neque ſuppoſitiones illæ, atque circumgirationes

tiones aliquid valent : Attende Renati principia duo eſſe dixit noſter D.Chryſoſtomus Scarſò, materiam ſcilicet extenſam, ſecundum trinam dimenſionem,& motum, materiamque,ut principium intrinſecum à Charteſio admitti ; motum verò ut extrinſecum, & quaſi efficiens : Perpendamus igitur,an idem aſſerat Dominatio ſua pluſquam in doctrina Charteſii illuſtris.Ais *materiam, & extenſionem idem eſſe*, quod probas, ex eo quia in quocumque corpore proprietates illę quatuor à te enarratæ tamquam inſeparabilia prædicata inveniuntur : ergo cum dicis quod in quocumque corpore inveniuntur illę tuę proprietates, tradere vis materiā extēſam eſſe primum principium: idem enim in re eſt materia extenſa, ac tua extenſio in concreto ; Si enim illa in abſtracto ſumatur, erit non primum prin-

principium, ſed potiſſima cauſa, ut ſecernantur à ſanis inſani.

Deinde ais materiam creatam eſſe à Deo diviſam, ab illo motam eſſe; Motum hunc ſequuti ſunt Vortices tanquam effectus primi illius motus; Petimus nunc à te, iſte tuus motus eſt ne causa efficiens vorticum? Reſpondes maximè. Ulterius inquiremus, quęnam ſit cauſa efficiens elementorum, etiam motum eſſe hanc cauſam in toto tuo diſcurſu tradis. Arguimus nunc. Sed cauſa efficiens eſt extrinſeca; materialis intrinſeca, ut pueri noſcunt, poſtque alpha, & Beta puellæ:

Ergo rectè nos principia Charteſii eſſe diximus cum præfato noſtro D. Chryſoſtomo, materiam tanquam intrinſecum, & motum tanquam extrinſecum principium.

Deinde petimus à te à quo ſcis ſiſte-

ma Charteſii malè à nobis explicatum eſſe? vel enim tu Charteſium legiſti, vel non? ſi legiſti: ergo præceptis Eccleſiæ non obtemperas, cum hæc illius opera proſcripſerit, donec expurgentur, proindeque neque legi, neque retineri poſſunt, ut decrevit Alexander Septimus in damnatione quadrageſimę quintæ propoſitionis damnatæ, quæ ſic ajebat: *Libri prohibiti donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dum adhibita diligentia corrigantur.* Et hæc prohibitio adeò arcta eſt ut nec etiam Epiſcopi poſſint licentiam illos legendi præbere, ut notat Lupus de edicto Sãctæ Inquiſitionis p.4. lib.25. diſt.7. art.2. ex Gregorio Decimoquinto, & Urbano Octavo, vel non legiſti, & quare potiùs tibi, quam nobis fides præſtanda eſt? dices te audiviſſe legentem: ſed argumentum eſt à capite: ergo non habes majorem

cer-

certitudinem de Renati principiis, quam nos, ac proinde licet principia Charteſii, ut à nobis, & à te exponuntur, eſſent diverſa, quod non eſt, ut oſtendimus, adhuc aliquantulum temerarius eſſet tuus hic loquendi modus; Sed meliùs perpendamus tuas ex Charteſio adductas ſuppoſitiones, explanationes, atque ſalubria monita.

Prima ſuppoſitio eſt hæc, ſcilicet materiam, & extenſionem, idem eſſe, quod probas, ex eo quia in quocumque corpore tanquam inſeparabilia prædicata, inveniuntur impenetrabilitas, diviſibilitas, figura, & extenſio, &c. Cum autem ex ſola extenſione ortum ducant tres aliæ enarratæ proprietates, concludis in ſola extenſione naturam corporis reponendam eſſe; ſed hic noſter bone Chartiſta ſta in gradu tuo, ſcilicet, Chriſti fidelis eſto; Non enim cum Calvino,

Carloſtadio, Zuinglio , aut Hæbrei s agere contendimus , cum noſtrum non ſit in Hæreticorum ante Signanos, Hębreoſque tela acuere; Prohibitum namque eſt laicis quales nos ſumus de rebus fidei diſputare, & licet Sanchez in Decalogi lib. 2. cap. 6. nu. 4. & 7. aſſerat laicum doctum ſollicitatũ ab Hęretico teneri illum confutare; Tamen quia quod ſignificet hoc verbum *Doctus* adhuc neſcimus , ideò nos à diſputando cum Hæreticis jure arceri cenſemus : Cum membro igitùr Eccleſiæ , & vivo profectò contendimus , & petimus an corporis naturam in actuali extenſione , figura, impenetrabilitate , & diviſibilitate, an in aptitudinali tantum conſtituas? ſi hoc ſecundum aſſeras , pro principio rerum omnium, materiam Ariſtotelicam admittis, incidiſque, ò miſer, in Ariſtoteliſmum , ſic ve de fabulis ab fabulas tranſi-

Digitized by Google

tranſitum facis; Ex eo quia cum prima materia ſit actu inextenſa, & non quanta, cum potentialitèr tamen; & quanta ſit, & extenſa, illa ſanè tuum erit principium: Si aſſeras primum proh dolor! Erubeſcimus in viro à nobis putato chatolico talia, quæ fidei myſteriis repugnant, audire! Quæ repugnantia ſic probatur. Illud eſt de eſſentia alicujus, quod ità illud conſtituit, ut ſi Divinitus auferatur, jam tale non eſſet. E.G. Anima rationalis, quia eſt de eſſentia hominis, ſi à corpore ſeparetur, jam corpus illud non dicitur homo, quia corpus eſſentialiter conſtat ex materia, & forma, forma aliqua abſque ulla materia exiſtens non poteſt dici corpus; ſed actualis extenſio, ut radix actualis figuræ, impenetrabilitatis, & diviſibilitatis à corpore poteſt ſeparari; Ergo illa non eſt de eſſentia corporis,

 adeo-

adeoque corporis natura in illa reponẽda non eſt; Majorem veram eſſe neminem latet, Minorem ſic probamus; Valet argumentatio ab actu ad potẽtiam, ſed de facto ſeparatur actualis extenſio, impenetrabilitas, & diviſibilitas à corpore; Ergo ab illo poteſt ſeparari. Probatur minor. In Sacramento Euchariſtię eſt vera, & realis Chriſti pręſentia, ut tenet Eccleſia catholica, & patet ex Berengarii abjuratione in Concilio Romano ſub Gregorio VII. habito his verbis. *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem, & vinum, quæ ponuntur in altari per myſterium ſacræ orationis, & verba noſtri Redemptoris ſubſtantialitèr converti, in veram, ac propriam, & vivificam carnem, & ſanguinem Jeſu Chriſti Domini noſtri, & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti corpus, quod natum eſt ex Virgine, & quod*

& quod pro ſalute Mundi in Cruce pependit.

Patet etiam hęc veritas ex cap.26. Matthęi in quo talia habentur: *Cœnantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait, Accipite, & comedite. Hoc eſt corpus meum, &c.* Patet etiam ex Tridentino ſeſſ. 13. c. 1. ubi ſic dicitur. *Docet ſancta ſynodus, & apertè ac ſimpliciter profitetur in almo ſanctæ Euchariſtiæ Sacramento poſt panis, & vini conſecrationem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, verum Deum, atque hominem verè, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri:* Ex his conſtat quod ſub ſpeciebus Euchariſticis eſt verum Chriſti Corpus: ſed hoc Corpus Chriſti ſub ſpeciebus eſt indiviſibile; Ergo non eſt prędicatum à corpore inſeparabile di-

viſi-

viſibilitas, ac per conſequens, actualis extenſio, in qua corporis naturam conſtituis. Hęc ultima cōſequētia ſequitur, ex eo quia quod indiviſibile eſt actu, extensũ formaliter non eſt, ſed Corpus Chriſti actu indiviſibile eſt: ergo extenſum formaliter non eſt. Probatur nunc minor principalis argumenti, ſi ſpecies panis, & vini, ſub quibus eſt Chriſtus dividantur, remanet totus Chriſtus ſub qualibet parte ſpecierum, ſeparatione facta: Ergo Corpus Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis non eſt diviſibile; Conſequentia eſt evidens ex eo quod dividi nil aliud eſt, quam partes componentes totum actu ſeparari, quarum una non ſit totum, ſed pars illius: Unde pueri trium annorum non ajunt quatuor nuces dividi, niſi unicuique pars illarum detur; Cum igitur totus Chriſtus ſub qualibet parte ſpecierum, ſepara-

Digitized by Google

paratione facta, contineatur, evidens eſt Corpus Chriſti ſub Sacramento Euchariſtię non eſſe diviſibile. Antecedens eſt certum de fide, & Probatur primo ex ſynopſi doctrinę catholicę de Sacramentis deſumpta ex Decreto Eugenii IV. pro inſtructione Armenorum Concilio inFlorẽtino edito ubi hęc habentur, Ita tamen quod totus Chriſtus continetur ſub pecie panis, & totus ſub ſpecie vini, ſub qualibet quoque parte hoſtiæ conſecratæ, & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus. Secundo ex Tridentino ſeſſione 13. canone 3. ubi habetur. Si quis negaverit in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus ſeparatione facta totum Chriſtum contineri, anathema ſit. Tertio ex illo Miſſæ Corporis Chriſti, fracto demum Sacramento,

ne

ne vacilles, ſed memento, tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur. Quarto ex facto Chriſti Lucæ 22. accepto calice gratias egit, & dixit:

Accipite, & dividite inter vos, quod neceſſario ſupponit in ſingulis ſpeciebus ſeparatis fuiſſe totum Chriſtum, alioquin ſinguli partem calicis ſumentes, nõ totum Chriſtum ſumpſiſſent: patet igitur quod ſi ſpecies panis, & vini dividantur remanet totus Chriſtus ſub qualibet parte ſpecierum ſeparatione facta, ac proinde Corpus Chriſti non dividitur.

Nunc denuò conficimus argumentum ſi natura corporis in extenſione, diviſibilitate, &c. conſiſteret, non poſſet dari verum corpus, niſi eſſet diviſibile, ut ſupra probavimus, ex eo quod natura rei mutari non poteſt, quin res ipſa mutetur; ſed de facto Corpus Chriſti

ſti

ſti ſub ſpeciebus Euchariſticis eſt verũ corpus, & non eſt diviſibile; Ergo de facto corporis natura in extenſione, diviſibilitate,&c. reponenda non eſt,ac per conſequens repugnat tua opinio noſtrę fidei myſteriis.

Urget magis hęc ratio deſumpta ex hoc Sacramento. Illud eſt conſtitutiuum eſſentiale corporis, ſine quo corpus eſſe non poteſt; ſed ſine occupatione loci, ſine impenetrabilitate, ſine diviſibilitate formali, ſine menſurabilitate poteſt eſſe corpus: Ergo in nullo iſtorum conſiſtit eſſentialitèr corpus. Probatur minor, Corpus Chriſti in Euchariſtia nec occupat locum, nec expellit alia corpora à loco, nec partibile eſt, nec menſurabile, ſed eſt modo localitèr inextenſo, indiviſibili, & immenſurabili. Ergo &c.

Ulterius Probatur minor Principalis

lis argumenti. Corpus Chriſti Domini fuit cum ſepulchri lapide, utero Virginis, & januis cęnaculi penetratum; Ergo de facto impenetrabilitas ſeparatur à corpore antecedens eſt de fide. Conſequentia ſequitur, quia Corpus Chriſti eſt verum Corpus, non adeò chymericũ.

Tertiò Probatur minor principalis argumenti. Corpora glorioſa ſunt vera corpora, & tamen illa poſſunt eſſe penetrativè in quolibet alio corpore quãtumvis ſolido; Ergo impenetrabilitas non eſt prędicatum à corpore inſeparabile, & unum ex conſtitutivis corporis. Conſequentia ſequitur propter rationẽ ſæpius adductam. Probatur Antecedens. Primo ex Ambroſio in Lucam capite ultimo. *Nos autem in corpore ſimili Corpori Chriſti reſurgemus: ſeminatur enim corpus noſtrum animale, ſurget ſpiritale.* Secundo ex Laurentio Juſti-

ſtiniano libro de diſciplina , & perfe-ctione Monachorum cap. 23. ubi ait: *Caro cum in hac vita degit, & peregrinatur à Domino, animalis naturæ eſt; poſt verò reſurrectionis gloriam, tota ſpiritualis efficietur, itaut omne ſolidum ei ſit pervium: non clauſtris teneri poterit incluſa, non vinculis religata, non reſtricta cuſtodibus, ſed liberam ingrediendi, & egrediendi ubique recipiet facultatem.* Et ex D. Th. in ſuppl. q. 83. art. 2. dicente. *Ita faciet virtus divina ut corpus glorioſum poſſit ſimul cum alio corpore eſſe ad perfectionem gloriæ*; Ergo corpora glorioſa poſſunt eſſe penetrativè in quolibet alio corpore, quantumvis ſolido; Igitur pluſquam falſum eſt quod ais corporis ſcilicet naturam in extenſione reponendam eſſe, quia extenſio eſt radix impenetrabilitatis, diviſibilitatis, & figuræ; cumque hæc tria

ab illa dependeant, ideo in ea reponis naturam corporis, hoc, ut diximus, vide quantum ſit à veritate alienum, ut meritò illud caveamus: Ex illis autem verbis in prima ſuppoſitione appoſitis, ſcilicet *concludi poteſt corporis naturam in ſola extenſione reponendam eſſe, hujus enim idea ab idea corporis ſeparari nequit*, movemur ad tibi ſuadendum, nè amplius ex ideis tuis judicare audeas; Nam cum de facto actualis extenſio &c. à corpore ſeparetur, ſignum evidens eſt tuas ideas eſſe non modò falſas, ſed myſteriis fidei repugnantes: illas igitur purga, ne dum ex illis veritatem haurire cupis, hæreſes ut fidei dogmata amplectaris.

Quantum ad ſecundam ſuppoſitionem eadem facilitate qua illa aſſeritur, poſſet negari, & petere à te poſſemus, unde nam creationis hujus generis certior

tior effectus fueris eruditè Chartiſta? forſitan id aliquis tibi revelavit? nobis enim ex ſcriptura hoc non conſtat, imò potius illi adverſatur, cum habeatur Geneſis primo. *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram*, & capite ſecundo. *Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat*: ex quibus ſic arguimus. Sex dierum ſpatio Deus creavit univerſa viſibilia, & inviſibilia; ſed ſi creaſſet iſtam materiam diviſam, uti à te deſcribitur, non creaſſet omnia ſex dierum ſpatio; Ergo hæc tua ſententia ſcripturæ repugnat. Major probatur, tum ex citato cap. Geneſis, tum ex cap. 20. Exodi num. 11. ubi dicitur ſex diebus fecit Cœlum, & Terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt; minor eſt evidens; nam materia iſthæc tua, ſive iſtæ tuæ particulæ antequam ab extima primi Cœli, ad terræ cen-

trum perveniſſent, neceſſe fuiſſet, ut plurium annorum devolveretur numerus, ſicuti demonſtrant Aſtrologi ex diſtantia Cœli à terra.

Confirmatur eo quod habemus in ſcriptura capite cit. Geneſis in illis verbis. *In principio creavit Deus Cœlum, & terram*, & in cæteris, *factumque eſt veſpere, & mane dies unus*, prima die Deum creaſſe terram, cui æquè conſonat hymnus, qui canitur Dominicis diebus ad matutiuum, *Primo die, quo Trinitas beata Mundum condidit*; ſed non creaſſet prima die ſi expectaſſet has circumgirationes tuas, ut vidimus; Ergo iſtæ tuæ circumgirationes, ſunt circumgirationes non Mundi, ſed parvi Mundi alicujus, effectæ in parte principali illius, ſcilicet in intelligentia.

Secundò ex hac tua ſententia ſequeretur

retur materiam iſtam longè prius creatam fuiſſe quam Angeli, ſed hoc nemo ſenſatus dicere audebit; Ergo nec tuam ſententiam admittet; Minoris rationem reddimus,ex eo quia ex Lateran. Concilio cap. *firmiter* habemus *Deum ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidiſſe creaturam, ſpiritualem, & corpoream, angelicam, & mundanam*; ſed non ſimul ab initio temporis utramque condidiſſet creaturam, ſi longè priùs condidiſſet mundanam creaturam, vel tuam materiam, cum hæc mundana creatura ſit: Ergo nemo ſenſatus audet dicere longè prius fuiſſe conditam tuam materiam, quam Angeli; Audi etiam Epiphanium hæreſi 65.ajentem, quod *illud evidenter divinus ſermo declarat, neque poſt ſydera productos Angelos, neque ante Cœlum, terramque conſtitutos*; ſequela majoris

 pa-

patet ex eadem ratione, qua probavimus ex tua ſententia ſequi Deum non creaſſe omnia ſex dierum ſpatio.

Sed ulterius vortices tuos rejiciamus. Profecto mirum eſt, & ultra captum quo pacto particulæ tuæ potuiſſent tam diverſo motu moveri, ut aliæ motu recto, aliæ contrario moveantur; Non negamus Deum potuiſſe id efficere, negamus verò id effeciſſe; Nam cum benè potuiſſet univerſa machina verbo Domino ex nihilo fieri; uti & facta eſt; nullimodè dicendum ità particulas à Deo creatas, & motas fuiſſe, eò magis quod nequeunt ſine neceſſitate miracula multiplicari, ſed ex una parte miraculum eſſet; qnia ultra naturæ exigentiam, & vires; particulas illas à Deo ita moveri; & ex alia nulla ad id aſſerendum neceſſitas cogit propter rationem hìc poſitam; Ergo nul-

nullimodè id aſſerere debemus, &c.

Deinde etſi particulæ iſtæ tuæ à Deo ita creatæ fuiſſent in circumgirationes, & vortices minimè abire potuiſſent; Primò, quia experientia notum eſt, quod ubi particula una rectâ mota ab alia reflectitur non circularem motum acquirit, ſed rectum adhuc retinet, licet aliquantiſper poſt reflexionem obliquetur. Sit exemplum projiciatur lapis rectâ è terra ſurſum ponderis unius unciæ, & è ſummitate rectâ etiam, æqualis ponderis lapis projiciatur, & ubi æqualem habent vim unus alium, tangat, lapis ſurſum projectus licet pauliſper alio modo moveatur, brevi tamen rectâ etiam pergit, & ſi à ſummitate Firmamenti ad terram deſcenderet, & centum, vel mille lapidibus motu contrario motis urgeretur, adhuc ſemper poſt obliquationem juxta pri-

ſtinum rectâ moveretur: Ergo impoſſibile eſt illum in circumgirationes abire: Eò magis quod vel illarum particularum unaquæque ſuum centrum verſus moveretur, vel non: ſi primum jam reflexione facta ſuum centrum verſus tenderet, ut etiam in lapide terram appetente patet: Si ſecundum, erit multiplicatio penè indefinitorum miraculorum; cum ſupra exigentiam particularum illarum ſit aliò diſtrahi, quam centrum proprium verſus, & ſi ab agente creato id fieret, contra particularem uniuſcujuſque particulæ naturam id eſſet; Cum igitur unumquodque elementum ſecundum te indefinitas habeat partes, indefinita requirerentur miracula ad illas eo quo ais modo movendas: Vide igitur quanto in hoc uno aſſerat Charteſius falſa, & naturaliter impoſſibilia, rationique adverſa.

Se-

Secundo, quia licet aquà conſtet oblongis particulis, quæ per æterem agitatę facilè humoris figurã ſubeunt, ut ex ipſis aquæ phænomenis ſatis juxta hanc ſuppoſitionem expoſitis patet, cum Spiritus vini, & aquæ fortes nunquam concreſcant in glaciem, quia ejus particulæ ut adeo tenues ab ætere ſurſum moventur, Aqua etiam in vapores facilius explicatur, quam oleoſi liquores, qui panno, aliiſque corporibus pertinaciter adhærent. Licet enim Aer congeries nobis videatur particularum diverſimodè figuratarum, cum ſit corpus valde rarum, fluidum, & perlucidum, per potentiſſimos, quos habet poros; Nullimodè tamen aſſeri poteſt terram, ex aliis, quam ex quadratis particulis conſtare, quæ aſſertio manifeſta eſt; Firmitati quidem competit quadrata figura, & probant Philoſophi Empircum eſſe

quadratum, quia firmum, ſed terra cum ſua unaquaque parte firma eſt ; Ergo ex quadratis particulis conſtat ; Minorem ſi negas, quantum ad primam partem ex ſcriptura, nec non ratione illam probamus: Ex ſcriptura, cum Paralipomenon habeatur *Deum fundaſſe orbem immobilem*, Et Eccleſiaſtæ primo, *Terra in æternum ſtat*, & inſuper pſal. 103. *Qui firmavit terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi*, pſal. 92. *Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur*. Ex ratione ; Nam ſi terra moveretur, circa Solem moveretur; ſed hoc eſt falſum : Ergo, &c. Major à Chartiſtis conceditur; Minor probatur. Si terra circa Solem moveretur, jam modò accederet, modò recederet à ſtellis fixis, ſaltem polaribus, accederet, cum eſſet ſupra Solem, recederet cum eſſet infra, vel ad latera;

Digitized by Google

Tunc autem ſtellæ deberent cerni modò majores, modò minores, quod experimentis diſſorme; Stellæ enim polares numquam altitudinis gradum mutarunt.

Quantum verò ad ſecundam ſic probatur; Quia terra dicitur damnata cum violentiſſimis actionibus ignis in auras evaneſcere non poſſit: ex quo deducitur ſuas particulas illius eſſe figuræ, quæ magis quieti conſentanea, uti quadrata; ad ignis differentiam, qui dum ex rotundis, facillimè mobilis. Hinc deſcendit ſecundò terræ opacitas, ſeu obſcuritas; Ex particulis enim rotundis non poteſt conſurgere perfectè opacum; ſed terra eſt perfectè opaca: Ergo nequit conſtare ex particulis rotundis; Minor eſt evidens ex ſeipſa. Probatur Major. Particula rotunda tangens aliam rotundam ita illam tangit, ut inter

unam,

unam, & aliam mediet aliquid, quod non eſt aliquid particularum illarum; ut etiam cæcis à nativitate notum eſt, & ſic ſuadetur: tangat duas particulas, vel alia rotunda, vel quadrata, erit ſanè inter illas medium; videbis utique inter unam, & aliam particulam mediare aliquid, quod non ſunt particulæ ipſæ; quod quidem medium impedit perfectam opacitatem, ut intueris: Ergo ex particulis rotundis non poteſt confici corpus perfectè opacum; E' contra particulæ quadratæ perfectè opacum componunt; Certum eſt ergo, terram ex particulis quadratis conſtare, ſed prorsùs naturaliter impoſſibile eſt quadratum circulariter moveri ex ſeipſo, cum motus circularis ſit omnium perfectiſſimus, ad quem ineptiſſimum eſt quadratum ex ſeipſo immobile; Ergo particulæ terram componentes nullimodè

limodè poſſunt circulariter moveri, ſicuti etiam dicimus de particulis aquæ oblongis motui circulari pluſquam inhabilibus, & de particulis aeris, quæ cum ut plurimum rotundæ non ſint, eamdem tenent inhabilitatem, ac proinde diſtinctio iſthæc tuorum vorticum prorsùs chymerica eſt, adeòque à vetulis dum tempore hyemali nent, vel ſomno gravi opprimuntur, excogitata.

Nec valet dicere illas particulas ex motu factas fuiſſe rotundas mutuo attritu. Nam ut iſtæ particulæ mutuo attritu frangerentur, debuiſſent eſſe ita magnæ, atque graves, ut excederent magnitudinem fabarum, fabæ enim quantum moveantur, nunquam una ab alia frangi poteſt; quo pacto autem particulæ ita magnæ, non continuæ, motu tam celeri, tamque perfecto moveri naturaliter potuiſſent percipere non valemus.

Tan-

Tandem hic addimus. Quam rationem hujuſmodi creationis adducis? Nullam niſi Charteſii excogitationem; ſed quantam pariat authoritatem excogitatio Chartheſii nos non docuiſti. Oramus te, ut nobis aperias, an eodem modo Charteſio credere debeamus, quo libris Proto-canonicis, aut deuterocanonicis, traditionibus Pontificis ex Cathedra res fidei definientis, Conciliis Generalibus, vel ut verſionibus Sacræ Scripturæ, ſeptuaginta Interpretibus, vel ut revelationibus Divæ Brigittæ, Divæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, vel ut communi Theologorum ſententiæ? Loquere, loquere quæſo, quia amici auſcultant: Rogamus te ne celaveris ſermonem iſtum? Proh dolor, quanta Philoſophi omnes, imo Doctores ipſi Eccleſiæ hucuſque, & docuerunt, & probarunt, quæ nec fidei, nec

mo-

moribus, nec evidentiæ adverſantur, & tamen illa à te non admittuntur, & vis, ut ſomnia Charteſii nos admittamus? Nunquam ſanè id eveniet, nè nobis illud obiiciatur. O' inſenſati Juvenes quis vos faſcinavit? Renatus Des-Chartes author nunc proſcriptus.

Renatus ille, inquam, qui perplures tum contra Philoſophiam, tum contra fidem errores tradidit, inter quos iſtum eſſe probavimus, quo non cœlum, & terram; ut Geneſis primo habetur; ſed particulas quaſdam ſpiritibus immundis repletas à Deo creatas eſſe autumat. Tandem ſi contra ſcripturam hoc ſomnium tui Renati non eſſet, cum ille effatum non probet, quæſo tu illud proba, inveni aliquod medium probabile, ſit ſophiſticum ſaltem, ut expendere valeamus, an conſentaneum ſit rectè Philoſophiæ nobiliſſimum hoc ſiſtema.

Sed

Sed ad criſim revocemus,an tuæ Reſponſiones D. Chryſoſtomi Scarfò argumenta, quibus tuum hoc ſiſtema rejiecimus, infirment. Quantum ad primam, illa plures hallucinationes, quàm periodos continet. Primò enim hallucinaris; Nam omnia, quæ ſecundum intellectionem talia eſſe videntur, talia in re non ſunt. Communiter enim ens aliquod rationis admittunt, quod tamen in re eſſe contradictionem implicat. Privationes ut entia percipimus, cum tamen entia non ſint, ut ſunt tenebræ, &c. Igitur non eſt imperceptibile, quomodo aliquid ſit extenſum, & ſemper mens tua poſſit concipere partem extra partem, & illud non ſit diviſibile, nam cum mens tua, ut plurimum fallatur, falli etiam in hoc poteſt.

Secundo, quia ais, *præter quam quod videtur limites ſat anguſtos menti cogitanti,*

tanti, & ipſimet Dei omnipotentiæ præfigere velle; Ergo nè fines anguſtos menti tuæ, & Dei omnipotentiæ præfigas, dic te non eſſe, quantùm ad longitudinem, latitudinem, profunditatem, & lucem, Sole minorem, imò, & ipſo firmamento, & ſi hoc non ſufficiat, toto Orbe, cujus materiam tuus ſomniator ſecunda parte princip. n. 22. in immenſum diffuſam eſſe putat: Ergo dic Charteſium fuiſſe ſtultum, cœcum, & animam pro ſale, ut ajunt, habuiſſe: aliàs menti tuæ, & Dei omnipotentiæ fines anguſtos præfigeres. Quia potuit hoc Deus efficere; Ergo juxta tuum hoc effatum fecit, ſi hæc illata viſum movent, tua axiomatica periodus non ſtomaco eſt noſtro nauſea facta ſemel: Igitur non ex eo, quod partibus finitis mixta conſtent, menti, aut Dei omnipotentiæ fines præfiguntur. Non illi, quia ſi nunquam

quam Achari pedem percipere valebit, rerum cœleſtium contemplationi, hujus Orbis ornatui, ſcientiis denique, tum homine, tum Chriſtiano dignis, quam temporis partem dabit? Neque Dei omnipotentiæ, quia non per hoc, quod Deus infinitas creaturas condere poteſt, quas non condidit, ſuæ omnipotentiæ fines anguſtos præfigimus, cum dicimus finitas condidiſſe creaturas. Præfigerentur profectò fines, ſi cum tuo ſomniatore negaremus plurium Mundorum poſſibilitatem, contra communem Catholicorum ſententiam. Præfigerentur fines, ſi Deus novos motus in Mundo inducere non poſſet, ut idem tuus Somniator affirmat; Præfigerentur fines, ſi deberet Deus res in eodem ſtatu conſervare, ideſt id quod eſt in motu, ſemper in motu, id quod eſt in quiete ſemper in quiete, ut tuus proſcriptus

à Ro-

à Romana Cathedra Author.in 2.p.à n. 36.ad 42.tradit.

Hiſce maledictis Deo fines tuum, Des Chartes pręfigere non puduit; Hinc nos ne Deo fines præfigeremus, ex finitis particulis pedem Achari conſtare aſſerere nequimus, & ad ulteriora pergamus, nè nimio accenſi zelo, velit Charteſius à nobis quæ meretur audire.

Hallucinaris tertio, cum ideò infinitas eſſe partes compoſiti negas, quia mens tua infinitum capere non poteſt. Profectò iram compeſcimus, & Deum, ut det nobis patientiam, enixè precamur. Deus bone! Ergo quod non poteſt capere mens tua nõ datur, an mens tua eſt mens divina, ſive ſcientia viſionis Dei, quæ quidquid cognoſcit, efficit; Vndè quia res cognoſcuntur à Deo ideò ſunt, & res dari non poteſt, quin

 à Deo

à Deo cognoſcatur. Quod Dei propriũ eſt, creaturæ tribuere audes? O' Charteſi quantum à thorace caput diſtet neſcis, & quod neſcis, aut capere nequis, eſſe non poſſe aſſeris? neſcis fidem ex auditu concipi, neſcis Deum poſſe infinitos condere orbes, neſcis dari corpus ſine actuali extenſione, & tamen Deus infinitos poteſt condere Mundos, fides ex auditu concipitur, datur de facto corpus verum ſine actuali extenſione, ut probavimus, & probabimus; Ergo etiam quod capere non vales, de facto datur; Ergo ex eo quod mens tua capere non poteſt infinitum, iſtud ex hoc capite dari non repugnat: errat igitur hæc tua periodus,

Hallucinaris quarto, dum negas infinitum, quia mens noſtra infinitum capere non poteſt,& deinde dum tibi ipſi opponis: *Materiæ diviſibilitatem ſaltem*

im-

impoſſibilē ex hoc capite quod mens eam capere, & imaginari nullo modo poſſit: Reſpondes, *quod hic eſt error phyloſopho indignus; multa enim ſunt, & ſi veriſſima, quæ imaginationi comprehendi nequeunt;* Vel enim tu Reſpondes inſtantiæ juxta ſenſum illius, & ſic debes aſſerere multa eſſe veriſſima, quæ mens capere non poteſt; ſicque pugnantia ſcribis; fabricas, & deſtruis; plantas, & eradicas; Nam ideó infinitum negas, quia infinitum capere non potes: Ergo dum ais multa eſſe veriſſima, quæ mens noſtra capere non poteſt, evidentèr concedis falſum eſſe quod prius dixiſti; ac proinde nè contradictoria in eodem §. ſcribas diligenter attende quod dixiſti; Mendax bonã debet habere memoriã, quam ſi habuiſſes, non te mendacem oſtendiſſes.

Hallucinaris quinto, ex alio etiam ca-

pite. Das tu cum Charteſio actu infinitum, dum ille aſſerit materiam hujus Mundi in immenſum diffuſam; legatur ab habente facultatem 2. parte principiorum n. 22. Peto quid eſt immenſum, niſi illud quod menſurari non poteſt? Quid eſt immenſurabile, niſi quod nullis clauditur terminis? Quid nullis clauditur terminis, niſi infinitum? Ergo, abſque eo quod tua mens poſſit infinitum capere, de facto cum tuo Authore infinitum actu à parte rei das: Ergo etiam, abſque eo quod tua mens poſſit percipere infinitum, poterunt particulæ Achari eſſe infinitæ.

Hallucinaris ſeſto, cum inter infinitum, & finitum ponis medium. Attende, cum ex hac ratione firmitas rationis fruſtrà impugnatæ appareat. Inter infinitum, & finitum non datur mediũ; Ergo ſi negas partes infinitas, finitas eſ-

ſe,

ſe, debes aſſerere. Probatur antecedens. Inter contradictoria oppoſita non datur medium; ſed finitum, & infinitum contradictoriè opponuntur: Ergò inter illa non datur medium; Major eſt certa: Minor probatur. Contradictoria ſunt illa, quorum quod ponit unum, negat aliud prorsùs; ſed quod dicit finitum, negat prorsùs infinitum; Ergo finitum, & infinitum contradictoriè opponuntur. Probatur minor; finitum eſt quod clauditur terminis, infinitum è contra quod nullis terminis clauditur; ſed claudi terminis prorsùs negatur à nullis claudi terminis: Quodlibet enim vel eſt, vel non eſt: ſcilicet in caſu noſtro: Quodlibet clauditur terminis, vel non clauditur terminis: Ergo quidquid dicit finitum prorsùs negat infinitum; Ergo finitum, & infinitum contradictoriè opponuntur, ac proinde inter il-

la nullum excogitari poteſt medium, ut Phyloſophis etiam primæ tonſuræ notum eſt.

Deinde non ex eo quod aliquid à te definiri non poteſt non finitum appellandum eſt; Nam neque arenæ maris, neque guttæ aquarum à te definiri poſſunt, & tamen illæ de facto finitæ ſunt; Ergo licèt à te definiri non poſſint particulæ pedem Achari componentes immeritò illas negas eſſe finitas.

Quantum ad auri exemplum allatum, illud noſtram confirmat rationem, utpotè quia quantumvis in longum protrahatur, ſemper finitum eſt; Nec à nobis eſt imperceptibilis iſthæc protractio; Nam particulæ aurum componentes, cum ſint tenuiſſimæ, utpotè nimis defæcatæ, poſſunt in longius diſtrahi, quam particulæ aliarum rerum craſſiarum.

Hal-

Hallucinaris ſeptimo, dum aurum protrahi ais in immenſam fili longitudinem, & innumeras particulas, Negas enim actu infinitum nobiſcum, & tamen illud concedis: Nam infinitum eſt quod numerari non poteſt, neque menſurari: Si igitur illæ particulæ ſecundum te ſunt innumeræ, & immēſæ, jam erunt infinitæ; Sicque cum nos indefinitas partes negamus, optimè agimus, cum tu ipſe illas modò finitas, modò infinitas eſſe profitendo indefinitas partes mordicùs negas.

Hallucinaris octavò, dum in una athomo infinitas partes deſignabiles adeſſe fateris. In hoc enim ex duplici capite erras: Primò quia in antecedenti §. in infinitum negaſti diviſibilem materiam extensā, & nunc vis infinitas partes deſignabiles in una athomo eſſe. Secundò quia athomi ſūnt illæ partes mi-

Digitized by Google

nimæ, quæ corporum omnium principia; Neque habent partes, alioquin haud eſſent ſimplices, ſed ex aliis compoſitæ, & ſic ex aliis, non ex ipſis omnia primò fierent; ſed ſecundò, quod contra principii rationem, ut omnis fatetur Philoſophia. Tum quia partes, quibus componũtur athomi, vel quantæ, vel non: ſi ſecundum: Ergò ex non quantis fit quantum, & Zeno reviviſcit. Si primum, quærimus iterum illę particulę quantæ habent alias partes, vel nõ, ſi ſecundum ecce quantum ſine partibus, ecce noſtra athomus: ſi primum, redit à capite argumentum. Petimus tamen à te, datur ne in re pars athomo minor? minimè profectò. Cum enim illę ut principia à veri judicii Philoſophis admittantur, debent ita minimę eſſe, ut in re particula illis minor non detur, licet per Dei omnipotentiam poſſit dari

atho-

athomus major equo &c. Igitur non infinitę partes in athomo deſignari poſſunt.

Hallucinaris nono. Cum pedem achari in tot partes dividi poſſe exiſtimas, in quot ipſi Cœli. Utque tuam hanc percipias hallucinationem ſcias quemdam ruſticum ſex carnis libras circiter emiſſe, quas cum familiares, jocandi gratia, furati fuiſſent, ventrique demandaſſent, ut ſeipſos innoxios eſſe probarent, à fele carnem ablatam dixerunt; Ruſticus perdifficile id putans, & nimis moleſtè perferens; dum felem in ſtatera appendit, triumque librarum pondus non tranſcendere fuit expertus; ità domeſticos alloquutus: Felis tertiam non ſupergreditur libram; quo in ventre igitur ſex carnis libras repoſuit, ubinam illæ ſunt? Sic tibi nos dicimus. Supponamus pedem Achari eſ-

ſe

ſe ejuſdem ponderis,cujus granum:(diximus, ſupponamus; nos enim non latet totum acharum grano longè inferiorem) Tunc ex Cœlis demimus particulam unam grano majorem, cui cōparamus Achari pedem, & à te petimus:Habet ne tot partes pes iſte Achari, quot hæc particula ex Cœlis dempta? Reſpondebis affirmativè. Deſigna nunc in hoc Achari pede cæteras alias particulas,quas deſignabimus in Cœlis, ubi ſunt, ex qua pedis hujus parte tot educes particulas, indica nobis quis tibi virtutem hanc maximam dedit?

Sed ut melius perpendas vim hujus argumenti primo ſupponimus ex te contra te, non dari partes infinitas in mixto, ut ipſe fateris, dum ais extenſionem in infinitum diviſibilem non eſſe. Secundò, non poſſe dari infinitum majus alio infinito, ex quo ſi detrahatur

tur aliquid, adhuc remanet infinitum. Tertiò, quod infinitum nõ poteſt terminos habere, ac proinde finitum eſſe; & ſic probatur. Infinitum eſt, quod terminis caret: ergò quod infinitum non eſt, terminos habet, probatur conſequentia, primò quia contrariorum eadem eſt ratio, & diſciplina; ſed infinitum opponitur, vel contradictoriè, ut oſtendimus, vel ſaltem contrariè finito; & infinitum terminis caret, cum non poſſit dari infinitum terminatum: ergo quod nõ eſt infinitum habet terminos. Secundo. Id, cui non competit eſſentia infiniti, non eſt infinitum; ſed eſſentia Infiniti conſiſtit in hoc quod eſt terminis carere: ergo quod non eſt infinitũ, terminos habet. Nunc ſubſumimus; ſed quod terminos habet eſt finitum: ergò quod non eſt infinitum, eſt finitum: His ſuppoſitis ſic illuſtratur allata ratio.

Pri-

Primo per te pes Achari non habet partes infinitas:ergò finitas ex allata ratione. Secundò. Infinitum majus alio infinito dari repugat, ut omnibus notum eſt, ſi enim daretur infinitum alio majus, hoc quod ab alio excederetur, non eſſet infinitum, & ſic eſſet, & non eſſet infinitum: Aſt, ut oculis, & menti patentiſſimum, Cœli partes ſunt plures partibus pedis Achari,cum certiſſimum videatur ultra partem Cœlorum pedi Achari correſpondentem dari alias partes penitùs inperceptibiles, quas non habet pes Achari: ergò partes pedis Achari finitæ ſunt. Tertiò, partes pedis Achari terminis clauduntur: ergo ſunt finitæ. Conſequentia probatione nova non eget. Antecedens etiam patet,cum impoſſibile ſit compoſitum locum finitum occupans non habere partes finitas; ſed

Di-

Dices, cum partes Achari mentalitèr divido, nunquam invenire poſſum partem alias partes non habentem, & ſic ulteriùs: ſi igitur in pede Achari datur aſſidua diviſio, ſaltem mentalis, indefinitæ jam ſunt ejus partes; At hoc argumentum nimis probat: probat enim actu pedem Achari ex infinitis conſtare particulis, quod ſic probatur primò. Non poteſt compoſitum reſolvi in id, ex quo non conſtat; ſed ſi dividitur pes Achari, nunquam ad ultimam pervenitur diviſionem, quia experte deductis nulla particula dari poteſt, quæ non ſit diviſibilis: ergò actu pes Achari non conſtat ex particulis finitis: ergò ex infinitis. Secundò. Particulæ componentes pedem Achari terminis carent, cum nunquam ad ultimam deveniri poſſit: ergò ſunt actu infinitæ.

Secundò falſum eſt ſemper poſſe men-

Digitized by Google

mentalitèr dividi particulam aliquam, nunquam ad ultimam deveniendo. Nã dividamus, exempli gratia, pedem Achari in mille particulas, in quas neceſſario debes aſſerere dividi poſse, jam per te nulla ex his particulis habet partes finitas, ac proinde etiam ſi in mille partes unaquæque ex iis aliis particulis dividatur, nulla etiam finitas partes habebit, ac proinde ſi in infinitum ſemper progrediamur, nulla unquam dari poterit particula, quæ finitas habeat partes. Vide ex quot infinitis infinitis pedem Achari conſtare aſseris? hoc autem eſt abſurdum adeò maximum, ut illo majus in Philoſophia dari non poſſit.

Ulterius hallucinatio iſta probatur. Si pes Achari tot partes haberet, quot ipſi Cœli, ſequeretur etiam pondus unius Unciæ tot partes habere, quot pondus Cœlorum millies multiplicatorum:

rum:

rum: hoc evidenter eſt falſum; imò tu ipſe cum emis carnem, aut piſces, majus eſse aſseris pondus viginti unciarum, pondere decem unciarum: ergò etiam evidenter falſum eſt pedem Achari tot partes habere quot ipſi Cœli, probatur ſequela. Pondus eſt menſura rei ponderatæ, ergò ſi res ponderatæ æquales ſunt, etiam pondera æqualia eſſe debẽt, ac proinde ſi millies multiplicatur pes Achari, cum non poſſit attingere pondus unciæ, rectè ex hoc infertur rem ponderis unciæ æqualem eſse ponderi Cœlorum millies multiplicatorum, & ultra.

Neque dicas levitatem, aut gravitatem non provenire ex particularum numero; aliàs aer in pondere æqualis erit auro; Nam

Contra. Levitas, aut gravitas non provenit ex numero partium, ſed ex majo-

majori, vel minori Vacuo : Cum igitur aer magis vacuus ſit, quam aurum, hinc eſt leviorem videri aerem auro.

Hallucinaris decimò dum : . . . Sed quid immoramur in tot evolvẽdis Philoſopho indignis hallucinationibus, ſufficiat oſtendiſse plures continere errores, quàm periodos tuam ratiocinationem.

Quantum ad ſecundam rationem, illa non ſolvit argumentum noſtrum. Vis enim noſtræ rationis in eo poſita eſt, quod motus circularis in particulis ſit violentus; quod non eluditur per hoc, quod etiam Cœli circulariter moveantur. Nam conſonat Cœlis ita moveri, quia conſtant ex particulis continuis, & ſphæricam habent figuram : At particulæ quadratæ, vel oblongæ &c. diſiunctæ ſive non continuæ, quomodo ſi moverentur motu circulari, non eſset hic

motus violentus, nec etiam ut probabile oſtendere potes: firmum igitur remanet noſtrum argumentum.

Deinde tibi ipſi adverſaris. Supra enim in Paragrapho *ex his primò deducit ais* (*Materiæ particulæ jam diviſæ ſe motu recto moviſſent, niſi particulis aliis contraria determinatione motis occurriſſent*) Vides igitur ex his verbis, particulas jam motu recto motas occurriſſe particulis motis contraria determinatione; hæc autem contraria determinatio non poteſt eſſe recta, ſed obliqua, utpotè rectæ oppoſita. Deinde hic ais (*particulas ab initio etiam motu recto à primo Motore motas eſſe, ſed varia determinatione*) petimus an varia determinatio faciat à rectitudine declinare, vel non; Non ſecundum, aliàs non motæ fuiſſent motu contrario: ergò primum, ac proinde non omnes particulæ motu recto motæ à principio fuerunt;

Quomodo igitur particulas ab initio motu recto motas aſſeris, cum etiam contrario motu motas eſſe ſcripſeris?

Erras prætereà dum verba doctoris noſtri Scarfò, ſcilicet *Aſſerit inſuper Materiæ particulas ab initio creationis diviſas, motu moveri circulari*, accipis in eo ſenſu, quod à principio motæ fuerint motu circulari; Juxta quidem rectas Gramatices regulas ita exponuntur. Di più dice, che le particelle della materia diviſe dal principio della creatione ſi muovono col moto circolare. Inſuper aſſerit quod particulæ materiæ diviſæ ab initio creationis, moventur motu circulari; In quo ſenſu verum eſt noſtrum effatum, cum Dominatio veſtra ſupra dixerit materiæ particulas creatas eſſe diviſas, & poſt motũ rectum acquiſiviſſe motum circularem: Unde ſic noſtra procedit ratio. Irrationabiliter loquitur qui dicit particulas

ma-

materiæ naturalitèr motu recto motas; deinde contra propriam naturam motu circulari, longiſſimo annorum circulo, moveri; ſed Renatus Des-Chartes id aſſerit, ut ipſemet dicis: ergo irrationabilitèr loquitur.

Tibi etiam adverſaris cum ſcribis. *Conſonat enim immutabilitati Dei motum ſemper eumdem eſſe, & perſeverare.* Supra quidèm dixiſti *Materiæ particulas ab initio etiam motu recto à Primo Motore motas eſſe*. Percipe nunc contradictionem. Conſonat immutabilitati Dei (ſecundum te; nam hoc diſſonat libertati Dei juxta nos, qui aſſerenti à Deo motum ſemper in eodem ſtatu manutenendum opponimus verba ab Auguſtino libro primo operis imperfecti alia de cauſa prolata. *Siccine Deum laudas*, ut à Deo *auferas libertatem*!) motum ſemper eumdem eſſe, &

perſeverare;ſed particulæ ab initio motu recto ſecundum te à Deo motæ fuere : ergò neceſſariò debes aſſerere eas nunc etiã motu recto moveri : Imò nũquam motas fuiſſe motu circulari , quia conſonat Dei immutabilitati motum ſemper eumdem eſſe, & perſeverare;ſed particulæ ab initio (Repetimus crebriùs tuas propoſitiones , nè obliviſcaris)motu recto a Deo ſecundum te motæ fuerunt:ergo nè diſſonet eidem Dei Immutabilitati præſcriptæ , numquam potuerunt moveri motu circulari:Contradictoria igitùr aſſeris dum ais motum eumdem ſemper eſſe , & perſeverare, & deinde à motu recto ad motum circularem , Dei immutabilitatis tuo more oblitus, gradum facis .

Cæterùm quod motus tranſeat de ſubiecto ad ſubiectum prorsùs ridiculum eſt . Videmus enim pulverem belli-

licum numquam moveri, & tamen ita explodere ferreas pilas, ut illas ultra tria millia paſſuum jaciat; cum tandem pila pervenit ad parietem aliquem latitudinis viginti palmarum illic ſtatim ſiſtit, neque umquam parietem illum veluti bombardam avolare vidimus: Igitur motus hic pilæ ferreæ à quo communicatus fuit? Non a pulvere, quia nemo dat quod non habet: ſi igitur motus pilæ per te ab alio dari debuit, cum pulvis motum nullum habeat, illum communicare pilæ ferreę non valet; Neque ab aere, quia, pulvere deficiente, pila ſemper quieſcit: Neque ab igne, ſiquidem in bellico tormento ignito, aut ardentibus prunis pilam pones, numquam è tormento, vel igne illam videbis effugere; alia igitur eſt cauſa motus, non jam communicatio unius cum alio corpore: Quibus demùm philoſophicis

Digitized by Google

Confutatis maledictis
Flammis acribus addictis.

Tranſeamus ad Tertiam de Vacuo Impugnationem.

Ad tertiam de Vacuo Impugnationem.

AD ſanguinem, imò ad interitum uſque vulnerata à noſtro Patre Scarfò trina Chartefii dimenſione, operæ pretium eſt, ut futiles alias, imò Philoſophorum aurium offenſivas, ejus aſſertiones è Philoſophica palæſtra ejiciamus; (dictus enim Author appenſus in ſtatera inventus eſt in cunctis minus habens) Et primò illam, qua vacuum omnijure impoſſibile aſtruit. Hic autem ſub initio duas breviſſimas obſervationes addere non tædet: Prima eſt: In tua ſanè conſpicua, atque mirabili im-

impugnatione adverſùs à nobis editas lectiones, dum partium finitatem negas, ais inveriſimilem eſſe materiam in finitum quemdam numerum diviſibilem eſſe, quod probas ex eo capite quod (videtur limites ſat anguſtos omnipotentiæ Dei præfigere velle) Et hìc dum Vacuum negas te non pudet fines ſat anguſtos Omnipotentiæ Dei præfigere, quod ſanè horrendum facinus nobis videtur, præcipuè cùm nullus Chatolicorum, quem viderimus, Omnipotentiæ Dei deneget poſſibilitatem Vacui. In hujus veritatis elucidatione afferre poſſemus Atomiſtas omnes, & Ariſtotelicos tum Thomiſtas, tum Scotiſtas, alioſque penè innumeros; Quia autem nullum ob librorum, & temporis defectum invenire potuimus ex Patribus hac de re agentem, tantum Divi Thomæ teſtimonium adducimus 1. Parte

 quæſt,

quæſt.46. art.1. ad 8. ubi inquit quod ſupra Cælum eſt, & ly ſupra deſignat locum imaginarium: Vide igitur ſi jure optimo, tabellis obſignatis agimus tecum, ac teſtificamur quod dixeris aliquando, aut ſcripſeris. Qua enim ratione ſtare poteſt ut negando indefinitatem tuam partium, Dei Omnipotentiæ limites anguſtos præfigamus, quod à nemine ex Catholicis præter Renatum ſcriptum, aut dictum invenimus, & à te non præfigantur ſat anguſtiſſimi, Dei Omnipotentiæ, negando Vacui poſſibilitatem, quam Chatolici omnes concedunt? Repetimus verba ſuperiùs allata; Volumus non ſeverè, ſed ſincerè erudiri.

Poſterior eſt. Qua, ſi licet dicere, temeritate inanes cenſes mentes eorum, qui de Vacuo ſermonem inſtituunt, utpotè qui de re agunt naturaliter, & ſuper-

pernaturaliter impoſſibile? Ergò ne Chatolici omnes Philoſophi inanes à te judicandi ſunt, quia in Phyſicis de vacuo agunt? Reſpondebis. Inanes non eſſe mentes eorum, qui vacuum negant: Igitur Grammaticam minimè callere oſtendis, dum ab *affirmare ad agere* gradum facis: Inanes igitur erunt mentes eorum, qui vacuum de facto ſupra extimam Empyrei ſuperficiem dari aſſerunt, inter quos Angelicum numeras Doctorem, qui; ut patet ex citatis verbis; ibi vacuum dari concedit? Pudet ſanè nos talia impugnare, dum te non puduerit talia ſentire; ſed lento pede aggrediamur tui effati confutationem.

Et primo nobis ipſis gratulamur, dum noſtræ rationes ſimplici tuæ perceptioni ſatisfeciſſe legimus; Cum enim ex te veritas non à ſenſibus, ſed à mente, ſcilicet intellectu dumtaxàt expectanda ſit;

ſit;

ſit; Et alia ex parte intellectus operatiò tantùm ſit ſimplex perceptio, (ut ſapientèr nos docuit D. Chryſoſtomus Scarſò, cujus conſilio cunctis in doctrinalibus perennitèr, Deo ipſi dante ſalutem, uti ſperamus) dum tuæ perceptioni argumenta ſatisſaciunt, illa tamquam vera amplecteris, ac proinde concluſionem ipſam cur ut veram non approbas?

Deinde cum urgens, ac maximè, ut ais, concludens Renati argumentum expendimus, illud non niſi pluribus ex capitibus falſum eſſe comperimus. Primo quia ponit diviſionem loci inter internum, & externum. Certè Scotus ipſe ſubtilis, qui formalitates tot adinvenit, locum hunc internum non modò intelligere, ſed nec imaginari, ſi adhuc viveret, poſſet. Cum enim locus ſit id, quod continet locatum, ut ex verbis

ip-

ipſis liquidò conſtat, id quod continet debet eſſe ſemper extrinſecum locato: Nullimodè igitur internus dari poterit locus; Sicque cum tuum argumentum ſecundum te tantum probet locum internum idem eſſe ac extenſionem, quæ vacuum dici non poteſt, & non probet locum externum dari non poſſe, qui non ſit plenus corpore aliquo locato, nil illud urgens, ac maximè per te convincens Renati argumentum urget,aut convincit: Ex quo ſi adductus ad negandum vacuum fuiſti, ut hoc præſtes, evolve Peripateticorum libros, qui tenuitèr ſaltem probabilibus rationibus ad aſſerendum vacuum naturaliter repugnare utuntur, tuumque Renatum quieſcere cum mortuis relinque, uſque dum licentiam illum legendi obtinueris. Cum autem nos definimus vacuum, quod ſit locus corpore carens, intelligi-

mus

mus de loco, quem tu vocas externum: Nam de facto datur ſuperficies concava ambiens , quæ nihil continet , ac proinde de facto datur vacuum ; ſed ut melius percipias quantum Sophiſma Renati probet, obſerva vel nomine extenſi intelligis rem extenſam , vel ſimpliciter extenſionem ipſam : ſi ſecundum, erit battologia , cum idem ſit dicere extenſio ſine extenſo , ac extenſio ſine extenſione , quod profectò repugnat, cum eo ipſo quod datur extenſio, non poteſt extenſio negari. Si primum , laborat nimium argumentum , bene enim quit dari extenſio carens re extenſa. Attende . Hic non intelligimus nomine extenſionis locum , ſed privationem cujuſcumque corporis in aliquo loco, & dicimus privationem hanc extenſionem, non rem extenſam vocari ; Nec mirum , nam non ſolum quantita-

tem, ſed privationem quantitatis menſuramus, ſicut cum nil menſurari poſſit niſi extenſum, benè dici poterit privationem cujuſcumque corporis utpotè menſurabilem eſſe extenſam; Neque per hoc ſequitur eſſe corpus, trinam ſed dimenſionem non eſſe corporum conſtitutivam, cum poſſit dari trina dimenſio, quin detur corpus.

Hoc totum illuſtrari poteſt paritate deſumpta ex potentia viſiva. Dicimus enim oculum non ſolum lucem, ſed tenebras obſervare. Petimus nunc quid ſunt iſtæ tenebræ, ſunt ne aër niger? Minimè, cum aer ſit colorum incapax: ſunt igitur privatio lucis: igitur ſicuti cum oculus tenebras obſervat, privationem obſervat, quæ res non eſt: Ita à pari non modò extenſio dicitur de quantitate, ſed etiam de privatione quantitatis, quamvis iſta privatio non ſit aliquid reale. Præ-

Digitized by Google

Præterea cum dicunt Philoſophi potuiſſe Mundum creari mille annis antequam creatus eſſet, certum eſt illos bene loqui, nec tamen ſpatium illud temporis imaginari ante Mundi creationem eſt aliquid reale, ſed mera carentia temporis poſſibilis. Ita à pari quamvis aliquam extenſionem apprehendamus, tum ultra fines univerſi, tum intra locum corpore carentem, illa extenſio non eſt aliquid reale, ſed quædam quantitatis corporeæ, quam Deus creare poſſet ſupra Cælum Empyreum, vel poni in loco corpore carente intra fines Univerſi, carentia: Hoc ſuppoſito ſic arguimus.

Poteſt dari extenſio abſque eo quod ſit res extenſa, ſicuti poteſt oculus obſervare tenebras abſque eo quod ſint quid reale, & poſſumus annos numerare, qui de facto tranſacti non fuere; ſed

hæc extenſio, quæ non eſt res , nequit eſſe niſi vacuum:ergò ex tua ipſa ratione probatur potius quam confutatur vacuum. Exempla autem in probatione allata probant extenſionem educi ſimul cum re extenſa, non verò dari locum internum . Ubi notandum primo malè audire illa verba (extenſionem aquæ eſſe ab aqua inſeparabilem) Nam ex rationibus in confutatione ſecundæ Impugnationis allatis liquidò conſtat de facto extẽſionem ſeparari à re, utpotè paſſio ſecũdaria quantitatis, ſine qua quantitas eſſe poteſt : Ejecta igitur uti ſophiſtica tui Pſeudo-Philoſophi ratione, aggredimur criſim Impugnationum adverſus noſtra argumenta ; Et primo.

Quantum ad primam , ſi illa aliquid probaret, exultaremus, Cælique Rectori majores redderemus gratias , cum nos lana, non auro opulentiores fecit,

cum

cum lana auro ſit nobilior. An non materia Cæleſtis terreſtri præſtantior eſt cæteris paribus? certè: Si igitur tam lana, quam aurum Anima carent, & lana materiæ cæleſtis plus continet quam aurum, utpotè auro levior, ſanè lana erit auro præſtantior, ſicue potiùs libram lanæ, quam auri appetere debe-remus; ſed hoc ridiculum ab omnibus exiſtimatur: ergò etiam tua opinio.

Deinde cum unaquæque materia ad ſuum centrum naturaliter tendat, quomodo materia illa Cæleſtis in corporibus terreſtribus incluſa non avolet, & ad ſuam ſphæram non pergat in intelligibile nobis eſt, præcipuè cum præter naturam ſuam è proprio vortice ad alium tranſierit.

Ulterius unaquæque pars materiæ Cæleſtis indefinitas habet partes, ſicuti unaquæque pars materiæ terreſtris:

ergò

ergò idem pondus, ſecundum te, habebit pars materiæ Cœleſtis, ac terreſtris. Probatur conſequentia. Ubi numerus particularum eſt æqualis, ibi pondus æquale debet eſſe; ſed per te numerus utriuſque partis æqualis eſt. ergò & pondus æquale erit. Nec valet dicere centum grana tritici leviora eſſe centum granis auri: ergò ex numero partium non rectè pondus illarum colligitur. Nam contra eſt; Ideò enim grana tritici ſunt leviora, quia pluribus redundant porulis, quam aurum, cumque triticum vel nullas, vel perpaucas admittat aeris particulas, hinc eſt quod levius eſt granum tritici grano auri, quod ſi tot partes haberet triticum, quam aurum, certè idem pondus haberent.

Secunda autem reſponſio ad ſecundam rationem in eo errat, quod non

 bene

bene illam perpendit: Siquidem nomine contrarii non intelligitur à noſtro lectore Scarſò contrarietas rigorosè ſumpta, ſed oppoſitio genericè conſiderata, ut crebriùs candidis, aureiſque ſuis verbis noſtris antiphonavit auribus; Hæcve explanatio conſtat ex illis. Datur corpus plenum: ergò etiam vacuum; Vacuum autem & plenum tantum privativè opponuntur, cum Vacuum ſit locus corpore carens: Hoc igitur poſito, non poteſt intelligi forma, niſi privatio illius etiam intelligatur, & è converſo. Patet hoc inductione. Datur animal: ergo & non animal. Datur ſubſtantia corporea: ergo & incorporea. Datur vivens: ergo & non vivens: Ergo etiam ſi datur locus plenus, debet dari locus vacuus. Ad id, quod addis. Data albedine negari poſſet nigredo: hoc profectò non videtur

no-

nobis probabile. Albedo enim provenit ex tali participatione lucis: Cum igitur poſſit dari corpus, nec repugnet quod è contrario lucem participet, hinc eſt, quod dato corpore albo, nigrum negari nequit ſaltem de poſſibili. In ſuis autem oppoſitionibus hoc ſanè notandum, nullam à te adduci effati rationem; ex quo, eadem facilitate, qua id affirmatur, à nobis negari debet, vel è contra. Sed hoc veritatis manifeſtum eſt ſignum, nempe nullas ei deeſſe rationes, ſicuti è contra, numquam falſitati ratio ſuffragium dedit.

Tertia reſponſio eodem morbo, quo omnes, laborat; Nos tamen allatam à te opinionem ſic impugnamus. Primò, quod plenum eſt non petit magis repleri, aliàs eſſet plenum, & non plenum: ergò è converſo, quod poſcit repleri plenum non eſt; at poruli arboris

petunt repleri alimento : ergò illi non ſunt pleni, proindeque vacui. Secundò, nutritio ſit per aliquem motum : petimus nunc, particulæ illæ alimenti movent nè mareriam illam, quam vocas cœleſtem, vel non: ſi ſecundum, jam non introeunt particulæ alimenti, quia ut intrent deberent moveri, & movere expellendi cauſa materiam cœleſtem: Si primum, petimus ulteriùs, materia illa cœleſtis mota debet ne aliam movere, vel non: ſi ſecundum, duæ materiæ erunt ſimul in eodem loco, ſicque penetratio, quæ impoſſibilis extat, à te admittetur; Si primum petimus idem ulteriùs in infinitum, ſicuè continuò tota materia cœleſtis erit in motu, ex eo quia vegetat folium portulacæ. Ridiculum certè eſt quod aſſeris: Muta igitur ſententiam, tuumque linque Renatum, qui licet nova, falſa tamen di-

xit, utque parvulus leviſſimo Mathematicæ doctrinæ vento motus, veræ Phyſicæ ſprevit principia. Tertiò, cum aerem à materia cœleſti diſtinguis ſcire optamus, quid ſit iſthæc materia cœleſtis: Non eſt terra, non aqua; non aer, cum illam ab aere diſtinguas: ergò ignis Ariſtotelicus Elementaris. Probatur conſequentia. Illam ſubſtantiam vocat Ariſtoteles ignis Elementum, (ut novi Expoſitores) quæ ita tenuiſſima eſt, ut analogicè cum igne conveniat, quæque ob ſuam ſubtilitatem Cœlis proximior eſt; ſed has proprietates habet hæc tua materia cœleſtis: ergò iſta eſt elementum ignis; at à te elementum ignis negatur: ergò pars erit aliqua Cœlorum in porulis arborum incluſa; Et ſic petimus nunc, Cujus Cœli, & quà greſſa eſt via hæc materia? Indica nobis indica. An te latet cœleſtem materiam diſ-

ferre ſpecie à ſublunari,atque ad ſublunaria illam deſcendere in præſenti providentia impoſſibile eſſe. Quartò, qua in Schola aer didicit radices arboris, non verò ſummitates premere, ſicque efficere, ut ſucci ſurſum aſcendant,non tamen deſcendant? Lauream hujus doctoratus quis aeri dedit, quæ Academia, quodnam Collegium? Si nos verum fateri volumus manifeſtè experientiæ repugnat; conſtat enim ventos potiùs arborum ſummitates, quam radices agere, ſicque aerem ipſum potiùs illas, quam iſtas premere,ac proinde ſi ex aeris preſſione alimentum ſurſum aſcenderet, & arbor nutriretur, à fortiori deberet à ſummitate deorſum deſcendere, ſicve arbor areſceret.Deinde cum alimẽtum ut plurimũ aqueum ſit, cui naturale eſt deſcendere, non aſcendere, cum aere graviùs; & alia ex

par-

parte, quantumvis aer lagenam aquæ plenam percutiat, nunquam ex illa guttam aquæ expellere valeat; Impoſſibile eſt nos adduci ad credendum poſſe aeris preſſionem circa radices arboris factam efficere, ut alimentum per porulos arborum ſurſum aſcendat.

Quarta autem reſponſio tuis ipſiſmet verbis rationem noſtram firmat; Ex eo quia ideò tibi parum firma videtur noſtra ratio: Ex illa equidem ſequeretur, non alia via aquam refrigerari poſſe, quam per intromiſſionem particularum frigidarum: ſed de facto alio modo ab iſto aqua refrigerari non poteſt: ergo ex tuis verbis noſtra roboratur ratio. probatur minor. Nunquam ſenſatum vidimus hominem calidis aquam frigefacientem: Ergó evidens eſt aquam calidis non frigefieri. probatur conſequentia. Omnium conſenſus

evidentiam parit moralem; ſed homines omnes conſentiunt in hoc, ſcilicet calidis aquam non frigefieri: ergò ita ſe res habet. Secundò. Nemo dat quod non habet: ergo è converſo quod dat habet; atqui per te ſalia enarrata dant frigus: ergò habent frigus, adeoque ſunt frigida. Antecedens eſt adeò certum, ut ambigendi nullus adſit locus. Prima conſequentia evidens etiam eſt. Oppoſitorum enim eadem ratio: & diſciplina. Minor ſubſumpta ſecundum te eſt certa; Ergò conſequentia ultima, cum ſit legitimè illata eſt pluſquam certa: Ex qua ratione conſtat falſum eſſe aſſerere ſalia mineralia aquam, ut ais, frigefacientia eſſe calida: Calidum inquam cauſare frigus idem eſt ac brutum gignere hominem, cum eadem oppoſitio, quæ verſatur inter rationale, & irrationale, verſetur inter frigidum, & calidum.

Sed

Sed ulterius hæc ſalia frigida eſſe probemus. In Sublunaribus nullum majus frigoris ſignum quam pondus: Vnde aer utpotè minus frigidus levior eſt aqua: terra gravior cæteris eſt elementis utpotè frigidiſſima; Sed mineralia, ut conſtat, aliis mixtis graviora ſunt: Ergo mineralia ſunt aliis mixtis frigidiora. Cum autem ex frigido non poſſit niſi frigidum exire, hinc eſt ſalia ipſa mineralia frigida eſſe. Neque juvat nos frigus perſentire per ſumptionem alimentorum, & pharmacorum; Nam pharmaca illa, atque alimẽta licet extrinſecè frigida non ſint, ſunt tamen intrinſecè; ſicuti Spiritus vini, & ceraſorum, ſi tangentur, calor non perſentietur, cum nõ cito haud extrinſecus, & tamen calidiſſimos, igneoſque eſſe Medici ipſi uno ore pronunciant. Ita etiam quamvis ad tactum non digno-

gnoſcatur Pharmacorum, nec non alimentorum frigus, ab intrinſeco proveniens; bene nihilominus cognoſcitur ex effectibus, quos Pharmaca ipſa, & alimenta crebriùs cauſant: Propterea vide hic an verum ſit te in foveam, quam nobis paraſti, incidiſſe. Reprehendis equidem nos, quia ſupponis à ſenſibus, non à mente expetere veritatem; & Dominatio tua neque à mente, neque à ſenſibus eam petit; Sentis frigus in aqua à ſalibus cauſatum; ratione conſtat, cauſam debere in ſe continere effectum, quem cauſat; & dein aſſeris ſalia frigus cauſantia, ſicut & pharmaca, calida eſſe!

Cauſa inquam calefactionis, & frigefactionis à te aſſignata eſt manca: Ais enim frigus nos perſentire, cum reprimitur ſanguis efferveſcens, & retardatus motus exploſivus ſpirituum; ſed

quæ-

quænam ſit cauſa hujus repreſſionis, & retardationis non aſſignas: ſimiliter calorem, cum agitantur fibræ, & partes ſpirituoſæ; ſed quid agitet fibras, & partes ſpirituoſas non invenis. Perbella ſanè cauſarum aſſignatio! Agitatio, & repreſſio ſigna ſunt caloris, & frigoris, non cauſæ: Coquus enim dignoſcit in aqua calorem, cum illam ebbullientem in olla cernit, non verò dicit illam ebullitionem cauſare, ſed cauſari: Audi igitur nos, utque veriſſima noſtri Magiſtri Scarfò dicta complecti te non tædeat, publicæ namque utilitati, haud noſtræ ſolùm, dum ea in lucem edimus, elaboramus. Ebullitio illa, ſicut & ſpirituum repreſſio à particulis calidis, & frigidis intromiſſis reſpectivè cauſatur. Cum equidem ollam igni ſuperimponimus, paulatim particulæ igneæ intrant in aqua, ſicque illam calefaciunt uſque ad ebul-

ebullitionem, frignis ſemper ad ſufficientiam applicatur; e contrà verò cum nivem vaſculo adjungimus, particulis illis frigidis in porulis intrantibus, aqua in vaſculo contenta frigeſit: firmiſſima igitur eſt cauſa frigefactionis, & calefactionis à nobis aſſignata. Hic autem petimus à te quomodo ex motus preſſione cauſatur frigus, cum aqua in vaſe vitreo contenta, nive applicata, quo magis moveatur, eocitiùs frigeſiat? ſicuti etiam aqua calida, ſive vinum calidū quo magis movetur, eomagis calorem deperdit, frigusque acquirit? Ex tuis enim principiis potius per motum deberet caleſieri, quam frigeſieri: falſitatis igitùr poſſumus tuum effatum arguere, cum experientiæ repugnare videatur.

Reſponſionem ad quintum argumentum, quot modis evidentiſſimè poſ-

ſet

ſet confutare, tædet ; non enim volumen integrum caperet argumenta, quæ ſolidiſſimè probant diſtantiam illam inter Cœlum, & terram non eſſe corpus: Brevitatis gratia duo tantum tangamus.

Primum ſit ex principiis fidei; Si diſtantia illa inter Cœlum, & Terram, aere, atque ætherea ſubſtantia annihilatis ex eo præcisè quod tantum diſtantia eſt eſſet corpus, ſequeretur hoc corpus eſſe ens à ſe. Conſequens; & fidei repugnans, & rationi diſſonum eſt: ergò & id unde infertur. Minor patet; cum enim eſſe à ſe ſit ita Dei proprium, ut creaturæ eſſe non poſſit, & cum quod eſt à ſe independens ſit, quod non niſi Deo convenit, rationi, & fidei repugnat corpus aliquod eſſe ens à ſe, ſequela majoris probatur. Quod ab alio non eſt à ſe eſt: ſed corpus illud à te

fictum

ſictum à nullo eſt: ergò à ſe eſt. Major ex natura propoſitionum contradictoriarum patet: ſunt enim contradictoria hæc duo *à ſe ab alio*; ergò poſito, quod corpus illud non ſit ab alio, eſt à ſe. Ut autem minor probetur ſupponimus ex ſymbolo fidei Deum eſſe factorem Cęli, & Terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium; adeo ut nullum corpus excogitari poſſit, quod à Deo factum non ſit, vel fiat. Supponimus etiam nihil fuiſſe ab æterno productum, nam Joan. 17. habetur. *Clarifica me* Pater apud *temetipſum claritate, quam habui priuſquam Mundus fieret*. Et Proverb. 8. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio. Tertio ſupponimus Deum produxiſſe liberè, & non ex neceſſitate naturali Mundum; Nam Sap. 11. habetur: *Quomodo poſſet aliquid permane-*

re,

re, niſi tu voluiſſes? Pſal. 134. *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.* Apoc. 4. Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt. Epheſ. 1. Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ: His ſuppoſitis ſic arguimus primo. Sicuti Deus liberè creavit omnia hæc viſibilia, ità poterat aliqua creare, & aliqua non: Ponamus nunc Deum præter Cęlos nullum corpus ſublanare creaſſe, itaut intra Cęli ambitum nulla penitùs à Deo ſubſtantia fuiſſet creata, in hoc caſu ab uno Cęli extremo ad aliud adeſſet diſtantia, quæ ſecundum te eſſet corpus: Nunc ſubſumo; ſed hoc corpus à Deo non eſt: ergo à nullo eſt. Conſequentia ſequitur. Cum enim Deus ſit creator omnium, quod à Deo creatum non eſſet, à nullo eſſet, ac proinde à ſe. Probatur minor. In hac ſuppoſitione Deus

ni-

nihil intra primi Cęli ambitum creavit: ergò ſi per te corpus aliquod ad eſt, à Deo non eſt, ac proinde ens à ſe eſſet. Idem argumentum formemus in annihilatione. Poſita libera Dei creatione omnium, poſſet Deus per ſuam Omnipotentiam annihilare omnia, quæ intra primi Cęli ambitum continentur, itaut nullum ens ibi conſervet: Poſita hac annihilatione poſſibili, adhuc diſtantia ab uno extremo ad aliud extremum Cœli remaneret, quæ ſecundum te eſt corpus: ergò velit, nolit Deus, dabitur corpus aliquod exiſtens ab ipſo independens, utpote ab ipſo nec annihilabile, nec productum, ac proinde corpus, ſive ens à ſe. En ex negatione Vacui per Divinam Omnipotentiam quid ſequitur?

Secundò nil factum fuit ab æterno, ut ex ſecunda ſuppoſitione patet: Petimus

mus nunc, ab æterno antequam Mundus fieret, quid in hoc loco, ubi nunc Mundus eſt, aderat? Profectò ut noſtri Patris Lectoris Scarfò etiam loquendi modo prudentèr utamur, immenſum, inane erat; ſed hoc, per te, inane corpus erat: ergò antecedenter ad creationem Dei erat corpus, quod à Deo non erat: Probat dictus noſter Lector minorem. Vbi trina dimenſio invenitur, per te habetur corporis ratio; ſed inane illud erat trinè dimenſum: ergò erat corpus. Idem argumentum conficiamus in annihilatione poſſibili in alia providentia: Poteſt Deus univerſa creata in nihilum redigere, & eo quia qui liberè cuncta creavit, liberè ſaltem in alia providentia poteſt illa annihilare. Panamus Deum omnia annihilare, quid hìc, ubi omnia ſunt, remaneret? Inane, Inane, Inane; ſed hoc Inane per

te eſt corpus utpote, &c. ergò corpus hoc Deo non ſubditur, neque quantum ad creationem, neque quantum ad annihilationem: ergò à ſe eſt, ac proinde corpus aliquod datur, quod eſt à ſe: Hoc ut vidimus fidei, & rationi repugnat: ergo & id unde deducitur.

Secundum ſit ex naturali ratione. Poſita ſublunarium omnium annihilatione, remaneret hìc diſtantia, quæ per te eſt corpus: Creet deinde Deus omnia ſublunaria, quæ prius erant, jam ubi adeſt diſtantia, adeſſet aliud corpus; ſed hoc repugnat naturali rationi: ergo etiam Principium, ex quo ſequitur. Major per ſe eſt nota ex tua reſponſione. Minor probatur. Repugnat rationi, ut duo corpora ſint in eodem loco, maximè ex te, qui de eſſentia corporis ais eſſe impenetrabilitatem; ſed in hoc caſu duo corpora adeſſent in

Digitized by Google

eodem loco: ergò repugnat rationi, quod aliud corpus adſit hic, ubi in caſu adeſt diſtantia. Noſtris in ſcriptis elegantèr probat hanc minorem Pater Scarfò ſimilibus verbis. Diſtantia hæc quo abiret, quo in ſpecu ſe clauderet, cum ſpecus non adſit? quis illam devoraret? Nemo ſanè: Igitur ubi illa adeſt, adeſſet etiam aliud corpus, ac proinde duo corpora in eodem eſſent in loco.

Reſpondebis; uti citatus Pater prævidet in ſuis; Deum annihilare diſtantiam illam in propoſita hypotheſi; aſt hoc nullimodè admittendum, cum ex antecedenti ratione conſtet diſtantiam illam à Deo non dependere, neque in produci, neque in annihilare. Emenda ergò tuam ſententiam, & doctiorum ſequendo veſtigia, noveris nemini de Philoſophia ita malè meritum uſque adhuc fuiſſe ſicuti tuus Renatus.

Ad confutationem ultimæ reſponſionis pergentes, petimus quid nomine materiæ cęleſtis, ſeu æthereæ venit; non aer, ut concedis, non aqua, & terra, cum particulæ aeris, & terræ craſſiores ſint particulis aereis, quod à te ipſo negari non poteſt, cum in diſtinctione particularum vortices componentium aerem ex ſubtiliſſimis particulis, & ſummè agitatis componi ponas, alia verò elementa ex particulis minus ad motum aptis ob craſſitiem, & particulis rotundis, seù ſphęricis, quæ utique majores ſunt particulis rammentoſis ſubtiliſſimis: igitur cum ex alia parte non detur aliud Elementum præter tria hęc terram, ſcilicet, aquam, & aerem, ſubſtantiam illam æthereamm eſſe merum commentum dicendum eſt.

Præterquamquod ſi ſubſtantia hæc tua ætherea admitteretur, illa profectò

eſſet ſphæra ignis Ariſtotelici, quod ſic evincimus. Nomine ignis elementaris intelligit (juxta nonnullorum novellam explanationem) Ariſtotiles aerem ſubtiliſſimum analogicè cum igne formali convenientem, ut ex ejus textu 1. Meteor. cap. 4. liquet, ubi ait. *Quod id quod propè lunam eſt, non eſt ignis, licet à nobis ignis vocetur:* Patet igitur nomine ignis ſecundum de novo accõmodatam, ad mentem Ariſtotelis, expoſitionem, venire tenuiſſimam, & ſubtiliſſimam ſubſtantiam Cęlis proximiorem analogicè cum igne convenientem: ſi igitur elementum ignis Ariſtotelis non admittis, quomodo reſponſionem ipſius ad vacuum reprobandum, nobis opponis? An neſcis te hìc contraria docere, dum talia ſcribis?

Deinde ſi aer inſerviret luci in tota Antlia lux minimè appareret; cum ta-

men contrarium eveniat; maximè quia experimenta prius ſenſibus apparent, poſtmodumque intellectui.

Nec obſtat, quod ibi ſonus audiatur; Nam ad ſonum ſicuti requiritur aliquid Vacui, ita etiam ad illum efficiendum aer neceſſarius eſt, ita tamen ut ubi fit ſonus ſit aer; nõ tamen ex hoc ſequitur totam Antliam aere eſſe plenã, cum non in tota Antlia ſonus fiat: Ibi igitur vacuum adeſſe probabiliſſimum eſt, neque ullis rationibus oppoſitum, evinci poſſe ex evidentiſſimis hiſce noſtris ſolutionibus liquet.

Hic demum te enixè precamur, ut rudes hoſce, puerileſque labores æqui, bonique conſulas, non enim hoſtili, ut ajunt, ſed amiciſſimo illos calamo exaravimus, noſque dominationis tuæ ſocios, licet tanto nomine impares, agere pro certo habeas, ad ſcopum namque,

quo

quo ipſe collimas,& nos tendimus,Veritatem inhianter ambis, & eodem nos ambitu tenemur: qua de re ſubtiliſſimas tuas argumentationes conſiderantes, non contrà,ſed circa illas noſtram exercuimus criſim. Cui enim in mentem cadere poteſt arcem hoſtilitèr ab illo invadi, qui diſpicit an milites arcis vivi ſint, an exanimes? Qui arma diſcutit an ærea ſint,an plumbea? Quod lapiſlydius diſtinguat auri pondera, non invidiæ opus eſt, ſed artis, vel naturæ, vel utriuſque: Vale igitur vale, nomenque tuum immortalitati commenda.

Admod. Rev. Patri Magiſtro

D. CHRISOSTOMO

S C A R F O'

Ordinis S. Baſilii Magni.

QVamquam homines in extollendis ſummorum, ac eruditorum virorum laudibus ſe toto axe, & enixè conati, atque ratione eloquentiæ diſſertè fuerint uſi, extra modum quidem, & ut aſſouè dicam, adulationem potius, quam laudem ſummopere pronuntiaverint: Ego attamen iſtam, quia vires non ſuppetunt, non attingam, illam ut aufugiam, puro, ac tuto, mentis, & mei animi oraculo tuam Adm. R. P. ſapientiam cunctis Gentium notam, manifeſtamque effi-

ciam

ciam , non inquam præconium ; ſed ut omnibus tuarum virtutum ſim præco, operæ pretium duxi ; me enim tua digna merita extollere , decerpſiſſe eſt, recenſere tamen mihi unum fas ſit ; Te in Almo Stili Lyceo publicum Phyloſophyæ Lectorem ab omnium illius præclaræ Urbis eruditiſſimorum corona merito fuiſſe præelectum . At me unum , quod tua ſingularis gloria , & virtus eſt , obſtupeſcit , quod alii per plura decurſa , & elucubrata luſtra obtinere non utique , ſed attingere ne quidem potuerunt ; Tu verò decimum ſeptimum decurrens annum non modo attigiſti , ſed vivis omnium ſuffragiis , ac non demerita Stilenſium Civium voce obtinuiſti . Jure enim meritò te virtutum Columnam Stili Civitas habere meruit ; Felix illa ! quæ tantum Virum tenère ſortita eſt ; nam

etſi

etſi rudis, ac è ſcientiarum peritia ad ignaviam labefactans omnibus videbatur, auratam nunc, & virtutibus fixam ab ore tuo Chriſoſtome illis æquè patet elucidatam; Vir equidem es omni eruditione præ cæteris præditus; hoc me tamen unum extra mentis oleas tranſilire efficit, theſes publicas quatèr defendendo (cum millies, tum in humana, tum in divina, tum in Ariſtotelica, tum in moderna, tum contra Exteros, tum contra tuos Lectores, quos quia non ſemel, argumentis gloriosè viciſti, Poeſeos reſonuere Tubæ: *præmiſſis propriis, potuit ſuperare Magiſtros*, ſuſtinuiſti) ſumma cum laude,& omnium admiratu, ut Phyloſophus non modò, ſed & Poeta duodennis appellabaris, tertium luſtrum attingens defendiſti, nec Feſtum, quin ingenii tui partu, aut multiplici oratione, aut vario

vario metro in omnibus facundiam promulgaveris, celebrari poterat, niſi eloquentiæ tuæ honorificum adfuerit faſtum, honore plenum dici non poterat. Te Achademiarum Coronam, publicarum Theſium fulcimen, Cathedrarum Splendorem, Problematum Candorem, cujuſque difficultatis naturæ phænomenum publicum in quaque ſententia elucidantem, undique terrarum eruditiſſimorum Cætus plenè declarat, & tua plena facta demonſtrant; ex his ſolùm, quid dicam amplius? Nicolaum Grimaldi, ore proferre ſatis mihi ſit, ex tua Schola promtum, non dicam honorem, non tuæ virtutis ornamentum, ſed tui ingenii probationem eſſe, Orbi quam maximè innoteſcat, & te, niſi tuus fuiſſet diſcipulus, tam in Phyloſophiæ, quam in Theologiæ argumentis, ſuperaſſet; à nul-

à nullo itaque iſte vinci valet, tu iſtum, quia tuus labor, antecellis, ex laboribus namque tuis, alia quam Nicolaus tua gloria germinare non poteſt, ne universo labores tui terrarum Orbi inglorii remanerent, & ut canam illud

Si labor eſt ſemen, gloria fructus erit.

P.S.A.Rev.

Addictiſſimus
N. N.

In laudem

D. CHRYSOSTOMI

S C A R F O'

Scientiarum omnium Coriphæi.

E P I G R A M M A.

DEſinat Heroas tanta celebrare vetuſtas.
Laude, triumphales deſine Roma viros
Palladis antiquos nec tantum jactet alumnos
Hellas, tu vires deſine Troja Virum;
Hìc Scarfò ſiſtit, quo nec contendet Homerus,

Nec

Digitized by Google

*Nec contendendo Mantua prima ſe-
ret.*

*Ecce triumphator retulit, qui de Orbe
triumphum*

*Hic ſapiens Scarfò, corda domavit
atra.*

*Ergo tibi meritò textunt, dant, atque
coronant.*

*Stemma Deæ, laudes ſydera, dona
Polus.*

IN NICOLAUM
GRIMALDI.

EPIGRAMMA

QValis ad auratum detorquens lambada Taurum
Vernantes rutilo Sol premit axe rotas
Concipit accepto Muſarum numine Pindus
Gaudia; nec gratis abſtinet ora modis.
Talis ubi addentem lacrimis fluvialia ponto

Iura

Iura Tibrim linguis, Parthenopemque colis.

Iam Sebetiades potiora choreumate plaudunt.
Mollis & in multum murmurat aura melos.
Rite igitur noſtræ gaudent Nicolae Camœnæ,
Nec tantum Phœbus, te quoque Pallas amat.
Sed cur Pallas amat, rapitur cur Phœbus amore
Si Scarſò es radius! Tu ſapiens, ſatis hoc.

A01 1454340

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

B

Digitized by Google